

**Prof. Dr. Ulrich Eigler**  
**Vorlesung HS 13**  
**Lateinische Literatur des 1. Jh.s n. Chr.: eine „moderne“ Literatur?**  
**Programm**

<b>1.</b>	<b>19.09.13</b>	<b><u>I. Stil und Epoche</u></b> Minerva und Arachne: Klassik gegen Nachklassik? <i>Ov. met.</i> 6, 1-138
<b>2.</b>	<b>26.09.13</b>	Lucan und der lange Schatten Vergils <i>Luc.</i> 9, 950-1003; <i>Verg. Aen.</i> 8, 306-369
<b>3.</b>	<b>03.10.13</b>	Literatur und Kultur <i>Petr.</i> 1-3; 48; <i>Sen. dial.</i> 9, 9, 7; <i>Suet. gramm.</i> 16; <i>Hor. epist.</i> 2, 1, 88-92
<b>4.</b>	<b>10.10.13</b>	Literatur und Welt <i>Sen. epist.</i> 88, 1-3; 7-8; <i>Sen. contr.</i> 1, 2; <i>Quint. inst.</i> 10, 2
<b>5.</b>	<b>17.10.13</b>	<b><u>II. Literatur der Kaiserzeit</u></b> Dichten im kaiserlichen Rom <i>Verg. ecl.</i> 2, 56-73; <i>Calp. Sic. ecl.</i> 7, 1-46; <i>Phaedr.</i> 1, <i>prol.</i> ; 1
<b>6.</b>	<b>24.10.13</b>	Prinzipat und Freiheit <i>Tac. Agr.</i> 3; <i>Verg. Aen.</i> 1, 1-33; <i>Luc.</i> 1, 1-66; <i>Cic. off.</i> 2, 1-2, 5; <i>Tusc.</i> 5, 1-11; <i>Sen. epist.</i> 89, 8
<b>7.</b>	<b>31.10.13</b>	Leben und Schreiben lassen: Kultur am Hofe Neros <i>Sen. apocoloc.</i> 5-7; <i>Petr.</i> 83
<b>8.</b>	<b>07.11.13</b>	Plinius und Tacitus: Vom Behagen und Unbehagen in der Kultur <i>Tac. ann.</i> 4, 32-33; <i>Plin. epist.</i> 6, 20; <i>Tac. dial.</i> 34-35
<b>9.</b>	<b>14.11.13</b>	<b><u>III. Die (Un-)Sagbarkeit der Welt</u></b> Seneca und das Paradoxe <i>Sen. Thyest.</i> 1035-1068; <i>Ag.</i> 978-1012
<b>10.</b>	<b>21.11.13</b>	Statius' Thebais und die Ästhetik des Grausigen <i>Stat. Theb.</i> 8, 716-766; 12, 810-819
<b>11.</b>	<b>28.11.13</b>	Freud' und Leid des Epigonen: Silius Italicus und Valerius Flaccus <i>Sil.</i> 2, 391-456; <i>Val. Flacc.</i> 5, 415-454; <i>Verg. Aen.</i> 1, 441-493; 8, 626-731; <i>Plin. epist.</i> 3, 7; <i>Mart.</i> 7, 63
<b>12.</b>	<b>05.12.13</b>	Gute Miene zum bösen Spiel: Statius und Martial <i>Stat. silv.</i> 1, 1; <i>Mart. epigr.</i> 1, 10; <i>Mart.</i> 10, 2; 10, 4
<b>13.</b>	<b>12.12.13</b>	<i>Difficile est saturam non scribere</i> oder: Das Leben als Realsatire? <i>Pers.</i> 5, 1-65; <i>Iuv.</i> 1, 1; Julius Hart, <i>Auf der Fahrt nach Berlin</i> (Ausschnitt) (1882); Paul Lindau rez. Uraufführung von G. Hauptmann, <i>Vor Sonnenaufgang</i>
<b>14.</b>	<b>19.12.13</b>	<b>10:15 – 11:00 Uhr: Klausursitzung</b>

**Prof. Dr. Ulrich Eigler**  
**Vorlesung HS 13**  
**Lateinische Literatur des 1. Jh.s n. Chr.: eine „moderne“ Literatur?**  
**Sekundärliteratur**

Kollegstunde	Thema	Texte	Sekundärliteratur
<b>1. 19.09.13</b>	<b><u>I. Stil und Epoche</u></b>  Minerva und Arachne: Klassik gegen Nachklassik?	Ov. <i>met.</i> 6, 1-138	W. Eder, Augustus and the Power of Tradition: The Augustan Principate as Binding Link between Republic and Empire, in: K.A. Raaflaub, M. Toher (Hgg.), <i>Between Republic and Empire</i> , Berkeley – Los Angeles – Oxford 1990, 71-122. M. Vincent, Between Ovid and Barthes: Ekphrasis, Orality, Textuality in Ovid's „Arachne“, in: <i>Arethusa</i> 27 (1994), 361-386. C.S. Hardy, Ecphrasis and the Male Narrator in Ovid's Arachne, in: <i>Helios</i> 22,2 (1995), 140-148. Lothar Spahlinger, <i>Ars latet arte sua: Untersuchungen zur Poetologie in den Metamorphosen Ovids</i> , Stuttgart 1996 (Beiträge zur Altertumskunde 83). R. Gleis, Der interepische poetologische Diskurs: Zum Verhältnis von Metamorphosen und Aeneis, in: H. Tristram (Hg.), <i>New Methods in the Research of Epic. Neue Methoden der Epenforschung</i> , Tübingen 1998, 85-104. V. Pöschl, Arachne, in: W. Schubert (Hg.), <i>Ovid. Werk und Wirkung (FS v. Albrecht)</i> , Frankfurt 1999, 423-429.
<b>2. 26.09.13</b>	Lucan und der lange Schatten Vergils	Luc. 9, 950-1003 Verg. <i>Aen.</i> 8, 306-369	U. Eigler, Caesar in Troja. Lucan und der lange Schatten Vergils, in: Ch. Walde (Hg.), <i>Lucan im 21. Jahrhundert</i> , München – Leipzig 2005, 186-201.
<b>3. 03.10.13</b>	Literatur und Kultur	Petr. 1-3; 48 Sen. <i>dial.</i> 9, 9, 7 Suet. <i>gramm.</i> 16 Hor. <i>epist.</i> 2, 1, 88-92	P. Veyne, Das Leben des Trimalchio, in: Ders. (Hg.), <i>Die römische Gesellschaft</i> , München 1995, 9-50.
<b>4. 10.10.13</b>	Literatur und Welt	Sen. <i>epist.</i> 88, 1-3; 7-8 Sen. <i>contr.</i> 1, 2 Quint. <i>inst.</i> 10, 2	A. Stückelberger, <i>Senecas 88. Brief</i> , Heidelberg 1965, 19-97 (Übersetzung und Kommentar). S. F. Bonner, <i>Education in Ancient Rome</i> , London 1977, 97-111.

5. 17.10.13	<b>II. Literatur der Kaiserzeit</b> Dichten im kaiserlichen Rom	Verg. <i>ecl.</i> 2, 56-73 Calp. Sic. <i>ecl.</i> 7, 1-46 Phaedr. 1, <i>prol.</i> ; 1	
6. 24.10.13	Prinzipat und Freiheit	Tac. <i>Agr.</i> 3 Verg. <i>Aen.</i> 1, 1-33 Luc. 1, 1-66 Cic. <i>off.</i> 2, 1-2, 5; <i>Tusc.</i> 5, 1-11 Sen. <i>epist.</i> 89, 8	G. Pfliegersdorffer, Lucan als Dichter des geistigen Widerstandes, in: <i>Hermes</i> 87 (1959), 344-377. Damien P. Nelis, Praising Nero (Lucan, <i>De bello civili</i> 1, 33-66), in: Gianpaolo Urso (Hg.), <i>Dicere laudes: Elogio, comunicazione, creazione del consenso</i> , Pisa 2011, 253-264.
7. 31.10.13	Leben und Schreiben lassen: Kultur am Hofe Neros	Sen. <i>apocoloc.</i> 5-7 Petr. 83	G.B. Conte, <i>The Hidden Author: An Interpretation of Petronius' Satyricon</i> , Berkeley – Los Angeles – London 1996. R. Mayer, <i>Neronian Classicism</i> , in: <i>AJP</i> 103 (1982), 305-318.
8. 07.11.13	Plinius und Tacitus: Vom Behagen und Unbehagen in der Kultur	Tac. <i>ann.</i> 4, 32-33 Plin. <i>epist.</i> 6, 20 Tac. <i>dial.</i> 34-35	Pier Vincenzo Cova, <i>La critica letteraria di Plinio il Giovane</i> , Brescia 1966.
9. 14.11.13	<b>III. Die (Un-)Sagbarkeit der Welt</b> Seneca und das Paradoxe	Senec. <i>Thyest.</i> 1035-1068; <i>Ag.</i> 978-1012	E. Lefèvre, Die Bedeutung des Paradoxen in der römischen Literatur, in: P. Geyer, R. Hagenbüchle (Hg.), <i>Das Paradox: Eine Herausforderung des abendländischen Denkens</i> , Tübingen 1992, 209-246.
10. 21.11.13	Stattus' Thebais und die Ästhetik des Grausigen	Stat. <i>Theb.</i> 8, 716-766; 12, 810-819	M. Fuhrmann, Die Funktion grausiger und ekelhafter Motive in der lateinischen Dichtung, in: H.R. Jauss (Hg.), <i>Die nicht mehr schönen Künste</i> , München 1968, 23-66. H. Friedrich, <i>Manierismus</i> ; in: Ders. (Hg.), <i>Epochen der italienischen Lyrik</i> , Frankfurt 1964, 593-616. P. White, <i>The Friends of Martial, Statius and Pliny, and the Dispersal of Patronage</i> , in: <i>Harvard Studies of Class. Phil.</i> 79 (1975), 265-300.
11. 28.11.13	Freud' und Leid des Epigonen: Silius Italicus und Valerius Flaccus	Sil. 2, 391-456 Val. Flacc. 5, 415-454 Verg. <i>Aen.</i> 1, 441-493; 8, 626-731; Plin. <i>epist.</i> 3, 7; Mart. 7, 63	D.O.T. Vessey, <i>Lemnos Revisited: Some Aspects of Valerius Flaccus, Argonautica II</i> , 97-305, in: <i>CJ</i> 80 (1985), 326-339.

12. 05.12.13	Gute Miene zum bösen Spiel: Stattius und Martial	Stat. <i>silv.</i> 1, 1 Mart. <i>epigr.</i> 1, 10 Mart. 10, 2; 10, 4	H. Cancik, Untersuchungen zur lyrischen Kunst des P. Papinius Stätius, Hildesheim 1965 (Spudasmata 13), 89-101. H. Friedrich, Über die <i>Silvae</i> des Stätius (insbesondere V, 4 Somnus) und die Frage des literarischen Manierismus, in: Wort und Text (FS Fritz Schalk), Frankfurt 1963, 34-56. N. Holzberg, Neuanatz zu einer Martial-Interpretation, in WJbb 12 (1986), 197-215. G. Nadeau, Catullus' Sparrow, Martial, Juvenal and Ovid, in: Latomus 43 (1984), 861-868.
13. 12.12.13	<i>Difficile est saturam non scribere</i> oder: Das Leben als Realsatire?	Pers. 5, 1-65 Iuv. 1, 1 Julius Hart, <i>Auf der Fahrt nach Berlin</i> (Ausschnitt) (1882) Paul Lindau rez. Uraufführung von G. Hauptmann, <i>Vor Sonnenaufgang</i>	G.O. Hutchinson, Juvenal: Satire and the Real World, in: Omnibus 15 (1988), 20-22.
14. 19.12.13	10:15 – 11:00 Klausursitzung		

### Allgemeine Literatur:

Gian Biagio Conte, *The Rhetoric of Imitation: Genre and Poetic Memory in Virgil and Other Latin Poets*, Ithaca (N.Y.) 1986 (Ital. Fassung ist umfangreicher).  
R. R. Nauta, H.-J. van Dam, J. J. Smolenaars, *Flavian Poetry*, Leiden 2006.

**Prof. Dr. Ulrich Eigler**  
**Vorlesung HS 13**  
**Die lateinische Literatur des 1. Jh.s n. Chr.**  
**1. Kollegstunde (19. September 2013)**  
**Minerva und Arachne: Klassik gegen Nachklassik?**

**Text:** Ov. *met.* 6, 1-138 (ed. Anderson, 1977 (BT))

Praebuerat dictis Tritonia talibus aures  
 carminaque Aonidum iustamque probaverat iram.  
 tum secum "laudare parum est, laudemur et ipsae  
 numina nec sperni sine poena nostra sinamus",  
 Maeoniaeque animum fatis intendit Arachnes, 5  
 quam sibi lanificae non cedere laudibus artis  
 audierat. non illa loco nec origine gentis  
 clara, sed arte fuit; pater huic Colophonius Idmon  
 Phocaico bibulas tingebat murice lanas;  
 occiderat mater, sed et haec de plebe suoque 10  
 aequa viro fuerat. Lydas tamen illa per urbes  
 quaesierat studio nomen memorabile, quamvis  
 orta domo parva parvis habitabat Hypaepis.  
 huius ut adspicerent opus admirabile, saepe  
 deseruere sui nymphae vineta Timoli, 15  
 deseruere suas nymphae Pactolides undas.  
 nec factas solum vestes, spectare iuvabat  
 tum quoque cum fierent (tantus decor adfuit arti),  
 sive rudem primos lanam glomerabat in orbes,  
 seu digitis subigebat opus repetitaque longo 20  
 vellera mollibat nebulas aequantia tractu,  
 sive levi teretem versabat pollice fusum,  
 seu pingebat acu: scires a Pallade doctam.  
 quod tamen ipsa negat tantaque offensa magistra  
 "certet" ait "mecum! nihil est, quod victa recusem." 25  
 Pallas anum simulat falsosque in tempora canos  
 addit et infirmos, baculo quoque sustinet artus;  
 tum sic orsa loqui: "non omnia grandior aetas,  
 quae fugiamus, habet: seris venit usus ab annis.  
 consilium ne sperne meum. tibi fama petatur 30  
 inter mortales faciendae maxima lanae:  
 cede deae veniamque tuis, temeraria, dictis  
 supplice voce roga: veniam dabit illa roganti."  
 adspicit hanc torvis inceptaque fila relinquit

vixque manum retinens confessaque vultibus iram 35  
 talibus obscuram resecuta est Pallada dictis:  
 “mentis inops longaque venis confecta senecta,  
 et nimium vixisse diu nocet. audiat istas,  
 si qua tibi nurus est, siqua est tibi filia, voces.  
 consilii satis est in me mihi, neve monendo 40  
 profecisse putes, eadem est sententia nobis.  
 cur non ipsa venit? cur haec certamina vitat?”  
 tum dea “venit!” ait formamque removit anilem  
 Palladaque exhibuit: venerantur numina nymphae  
 Mygdonidesque nurus, sola est non territa virgo; 45  
 sed tamen erubuit, subitusque invita notavit  
 ora rubor rursusque evanuit, ut solet aer  
 purpureus fieri, cum primum Aurora movetur,  
 et breve post tempus candescere solis ab ortu.  
 perstat in incepto stolidaeque cupidine palmae 50  
 in sua fata ruit: neque enim Iove nata recusat  
 nec monet ulterius nec iam certamina differt.  
 Haud mora, constituunt diversis partibus ambae  
 et gracili geminas intendunt stamine telas:  
 tela iugo vincta est, stamen secernit harundo, 55  
 inseritur medium radiis subtemen acutis,  
 quod digiti expediunt, atque inter stamina ductum  
 percusso paviunt insecti pectine dentes.  
 utraque festinant cinctaeque ad pectora vestes  
 brachia docta movent, studio fallente laborem. 60  
 illic et Tyrium quae purpura sensit aenum  
 textur et tenues parvi discriminis umbrae,  
 qualis ab imbre solet percussis solibus arcus  
 inficere ingenti longum curvamine caelum,  
 in quo diversi niteant cum mille colores, 65  
 transitus ipse tamen spectantia lumina fallit:  
 usque adeo, quod tangit, idem est; tamen ultima distant.  
 illic et lentum filis inmittitur aurum,  
 et vetus in tela deducitur argumentum.  
 Cecropia Pallas scopulum Mavortis in arce 70  
 pingit et antiquam de terrae nomine litem.  
 bis sex caelestes medio Iove sedibus altis  
 augusta gravitate sedent; sua quemque deorum  
 inscribit facies: Iovis est regalis imago;  
 stare deum pelagi longoque ferire tridente 75

aspera saxa facit, medioque e vulnere saxi  
 exsiluisse fretum, quo pignore vindicet urbem;  
 at sibi dat clipeum, dat acutae cuspidis hastam,  
 dat galeam capiti, defenditur aegide pectus,  
 percussamque sua simulat de cuspidis terram 80  
 edere cum bacis fetum canentis olivae;  
 mirarique deos: operis Victoria finis.  
 ut tamen exemplis intellegat aemula laudis,  
 quod pretium speret pro tam furialibus ausis  
 quattuor in partes certamina quattuor addit, 85  
 clara colore suo, brevibus distincta sigillis:  
 Threiciam Rhodopen habet angulus unus et Haemum,  
 nunc gelidos montes, mortalia corpora quondam,  
 nomina summorum sibi qui tribuere deorum;  
 altera Pygmaeae fatum miserabile matris 90  
 pars habet: hanc Iuno victam certamine iussit  
 esse gruem populisque suis indicere bellum;  
 pinxit et Antigonen, ausam contendere quondam  
 cum magni consorte Iovis, quam regia Iuno  
 in volucrem vertit, nec profuit Ilion illi 95  
 Laomedonve pater, sumptis quin candida pennis  
 ipsa sibi plaudat crepitante ciconia rostro.  
 qui superest solus, Cinyran habet angulus orbem;  
 isque gradus templi, natarum membra suarum,  
 amplectens saxoque iacens lacrimare videtur. 100  
 circuit extremas oleis pacalibus oras  
 (is modus est) operisque sua facit arbore finem.  
 Maeonis elusam designat imagine tauri  
 Europam: verum taurum, freta vera putares;  
 ipsa videbatur terras spectare relictas 105  
 et comites clamare suas tactumque vereri  
 adsilientis aquae timidisque reducere plantas.  
 fecit et Asterien aquila luctante teneri,  
 fecit olorinis Ledam recubare sub alis;  
 addidit, ut satyri celatus imagine pulchram 110  
 Iuppiter inplerit gemino Nycteida fetu,  
 Amphitryon fuerit, cum te, Tiryntia, cepit,  
 aureus ut Danaen, Asopida luserit ignis,  
 Mnemosynen pastor, varius Deoida serpens.  
 te quoque mutatum torvo, Neptune, iuvenco 115  
 virgine in Aeolia posuit; tu visus Enipeus

gignis Aloidas, aries Bisaltida fallis,  
 et te flava comas frugum mitissima mater  
 sensit equum, sensit volucrem crinita colubris  
 mater equi volucris, sensit delphina Melantho: 120  
 omnibus his faciemque suam faciemque locorum  
 reddidit. est illic agrestis imagine Phoebus,  
 utque modo accipitris pennas, modo terga leonis  
 gesserit, ut pastor Macareida luserit Issen,  
 Liber ut Erigonen falsa deceperit uva, 125  
 ut Saturnus equo geminum Chirona crearit.  
 ultima pars telae, tenui circumdata limbo,  
 nexilibus flores hederis habet intertextos.  
 Non illud Pallas, non illud carpere Livor  
 possit opus: doluit successu flava virago 130  
 et rupit pictas, caelestia crimina, vestes,  
 utque Cytoriaco radium de monte tenebat,  
 ter quater Idmoniae frontem percussit Arachnes.  
 non tulit infelix laqueoque animosa ligavit  
 guttura: pendentem Pallas miserata levavit 135  
 atque ita "vive quidem, pende tamen, inproba' dixit,  
 'lexque eadem poenae, ne sis segura futuri,  
 dicta tuo generi serisque nepotibus esto!'



**Prof. Dr. Ulrich Eigler**  
**Vorlesung HS 13**  
**Die lateinische Literatur des 1. Jh.s n. Chr.**  
**2. Kollegstunde (26. September 2013)**  
**Lucan und der lange Schatten Vergils**

**Texte:** 1. Luc. 9, 950-1003  
 2. Verg. *Aen.* 8, 306-369

**Text 1:** Luc. 9, 950-1003 (ed. Housman, 1926 (OCT))

Caesar, ut Emathia satiatus clade recessit,	950
cetera curarum proiecit pondera soli	
intentus genero; cuius uestigia frustra	
terris sparsa legens fama duce tendit in undas,	
Threiciasque legit fauces et amore notatum	
aequor et Heroas lacrimoso litore turre,	955
qua pelago nomen Nepheleias abstulit Helle.	
non Asiam breuioris aquae disterminat usquam	
fluctus ab Europa, quamuis Byzantion arto	
Pontus et ostriferam dirimat Calchedona cursu,	
Euxinumque ferens paruo ruat ore Propontis.	960
Sigeasque petit famae mirator harenas	
et Simoentis aquas et Graio nobile busto	
Rhoetion et multum debentis uatibus umbras.	
circumit exustae nomen memorabile Troiae	
magnaue Phoebai quaerit uestigia muri.	965
iam siluae steriles et putres robore trunci	
Assaraci pressere domos et templa deorum	
iam lassa radice tenent, ac tota teguntur	
Pergama dumetis: etiam periire ruinae.	
aspicit Hesiones scopulos siluaque latentis	970
Anchisae thalamos; quo iudex sederit antro,	
unde puer raptus caelo, quo uertice Nais	
luxerit Oenone: nullum est sine nomine saxum.	
inscius in sicco serpentem puluere riuum	
transierat, qui Xanthus erat. securus in alto	975
gramine ponebat gressus: Phryx incola manes	
Hectoreos calcare uetat. discussa iacebant	
saxa nec ullius faciem seruantia sacri:	
'Herceas' monstrator ait 'non respicis aras?'	
o sacer et magnus uatum labor! omnia fato	980

eripis et populis donas mortalibus aeuum.  
 inuidia sacrae, Caesar, ne tangere fama;  
 nam, siquid Latiis fas est promittere Musis,  
 quantum Zmyrnaei durabunt uatis honores,  
 uenturi me teque legent; Pharsalia nostra 985  
 uiuet, et a nullo tenebris damnabimur aeuo.  
     ut ducis inpleuit uisus ueneranda uetustas,  
 erexit subitas congestu caespitis aras  
 uotaque turicremos non inrita fudit in ignes.  
 'di cinerum, Phrygias colitis quicumque ruinas, 990  
 Aeneaeque mei, quos nunc Lauinia sedes  
 seruat et Alba, lares, et quorum lucet in aris  
 ignis adhuc Phrygius, nullique aspecta uirorum  
 Pallas, in abstruso pignus memorabile templo,  
 gentis Iuleae uestris clarissimus aris 995  
 dat pia tura nepos et uos in sede priore  
 rite uocat. date felices in cetera cursus,  
 restituam populos; grata uice moenia reddent  
 Ausonidae Phrygibus, Romanaque Pergama surgent.'  
 sic fatus repetit classes et tota secundis 1000  
 uela dedit Coris, auidusque urgente procella  
 Ilicas pensare moras Asiamque potentem  
 praeuehitur pelagoque Rhodon spumante relinquit.

**Text 2:** Verg. *Aen.* 8, 306-369 (ed. Mynors, 1969 (OCT))

Exim se cuncti diuinis rebus ad urbem  
 perfectis referunt. ibat rex obsitus aeuo,  
 et comitem Aenean iuxta natumque tenebat  
 ingrediens uarioque uiam sermone leuabat.  
 miratur facilisque oculos fert omnia circum 310  
 Aeneas, capiturque locis et singula laetus  
 exquirique auditque uirum monimenta priorum.  
 tum rex Euandrus Romanae conditor arcis:  
 'haec nemora indigenae Fauni Nymphaeque tenebant  
 gensque uirum truncis et duro robore nata, 315  
 quis neque mos neque cultus erat, nec iungere tauros  
 aut componere opes norant aut parcere parto,  
 sed rami atque asper uictu uenatus alebat.  
 primus ab aethero uenit Saturnus Olympo  
 arma Iouis fugiens et regnis exsul ademptis. 320

is genus indocile ac dispersum montibus altis  
 composuit legesque dedit, Latiumque uocari  
 maluit, his quoniam latuisset tutus in oris.  
 aurea quae perhibent illo sub rege fuere  
 saecula: sic placida populos in pace regebat, 325  
 deterior donec paulatim ac decolor aetas  
 et belli rabies et amor successit habendi.  
 tum manus Ausonia et gentes uenere Sicanae,  
 saepius et nomen posuit Saturnia tellus;  
 tum reges asperque immani corpore Thybris, 330  
 a quo post Itali fluuium cognomine Thybrim  
 diximus; amisit uerum uetus Albula nomen.  
 me pulsum patria pelagique extrema sequentem  
 Fortuna omnipotens et ineluctabile fatum  
 his posuere locis, matrisque egere tremenda 335  
 Carmentis nymphae monita et deus auctor Apollo.'  
 Vix ea dicta, dehinc progressus monstrat et aram  
 et Carmentalem Romani nomine portam  
 quam memorant, nymphae priscum Carmentis honorem,  
 uatis fatidicae, cecinit quae prima futuros 340  
 Aeneadas magnos et nobile Pallanteum.  
 hinc lucum ingentem, quem Romulus acer asylum  
 rettulit, et gelida monstrat sub rupe Lupercal  
 Parrhasio dictum Panos de more Lycaei.  
 nec non et sacri monstrat nemus Argileti 345  
 testaturque locum et letum docet hospitis Argi.  
 hinc ad Tarpeiam sedem et Capitolia ducit  
 aurea nunc, olim siluestribus horrida dumis.  
 iam tum religio pauidos terrebat agrestis  
 dira loci, iam tum siluam saxumque tremebant. 350  
 'hoc nemus, hunc' inquit 'frondoso uertice collem  
 (quis deus incertum est) habitat deus; Arcades ipsum  
 credunt se uidisse Iouem, cum saepe nigrantem  
 aegida concuteret dextra nimbosque cieret.  
 haec duo praeterea disiectis oppida muris, 355  
 reliquias ueterumque uides monimenta uirorum.  
 hanc Ianus pater, hanc Saturnus condidit arcem;  
 Ianiculum huic, illi fuerat Saturnia nomen.'  
 talibus inter se dictis ad tecta subibant  
 pauperis Euandri, passimque armenta uidebant 360  
 Romanoque foro et lautis mugire Carinis.

ut uentum ad sedes, 'haec' inquit 'limina uictor  
Alcides subiit, haec illum regia cepit.  
aude, hospes, contemnere opes et te quoque dignum  
finge deo, rebusque ueni non asper egenis. 365  
dixit, et angusti subter fastigia tecti  
ingentem Aenean duxit stratisque locauit  
effultum foliis et pelle Libystidis ursae:  
nox ruit et fuscis tellurem amplectitur alis.

**Prof. Dr. Ulrich Eigler**  
**Vorlesung HS 13**  
**Die lateinische Literatur des 1. Jh.s n. Chr.**  
**3. Kollegstunde (03. Oktober 2013)**  
**Literatur und Kultur**

**Texte:** 1. Petr. 1-3  
 2. Petr. 48  
 3. Sen. *dial.* 9, 9, 7  
 4. Suet. *gramm.* 16  
 5. Hor. *epist.* 2, 1, 88-92

**Text 1:** Petr. 1-3 (ed. Müller, 1995 (BT))

[1] "Num alio genere furiarum declamatores inquietantur, qui clamant: 'Haec vulnera pro libertate publica excepi; hunc oculum pro vobis impendi; date mihi [ducem] qui me ducat ad liberos meos, nam succisi poplites membra non sustinent'? Haec ipsa tolerabilia essent, si ad eloquentiam ituris viam facerent. Nunc et rerum tumore et sententiarum vanissimo strepitu hoc tantum proficiunt ut, cum in forum venerint, putent se in alium orbem terrarum delatos. Et ideo ego adulescentulos existimo in scholis stultissimos fieri, quia nihil ex his quae in usu habemus, aut audiunt aut vident, sed piratas cum catenis in litore stantes, sed tyrannos edicta scribentes quibus imperent filiis ut patrum suorum capita praecidant, sed responsa in pestilentiam data ut virgines tres aut plures immolentur, sed mellitos verborum globulos et omnia dicta factaque quasi papavere et sesamo sparsa. [2] Qui inter haec nutriuntur, non magis sapere possunt quam bene olere qui in culina habitant. Pace vestra liceat dixisse, primi omnium eloquentiam perdidistis. Levibus enim atque inanibus sonis ludibria quaedam excitando, effecistis ut corpus orationis enervaretur et caderet. Nondum iuvenes declamationibus continebantur, cum Sophocles aut Euripides invenerunt verba quibus deberent loqui. Nondum umbraticus doctor ingenia deleverat, cum Pindarus novemque lyrici Homericis versibus canere timuerunt. Et ne poetas quidem ad testimonium citem, certe neque Platona neque Demosthenen ad hoc genus exercitationis accessisse video. Grandis et, ut ita dicam, pudica oratio non est maculosa nec turgida, sed naturali pulchritudine exsurgit. Nuper ventosa istaec et enormis loquacitas Athenas ex Asia commigravit animosque iuvenum ad magna surgentes veluti pestilenti quodam sidere adflavit, semelque corrupta eloquentiae regula stetit et obmutuit. Quis postea ad summam Thucydidis, quis Hyperidis ad famam processit? Ac ne carmen quidem sani coloris enituit, sed omnia quasi eodem cibo pasta non potuerunt usque ad senectutem canescere. Pictura quoque non alium exitum fecit, postquam Aegyptiorum audacia tam magnae artis compendiarium invenit."

[3] Non est passus Agamemnon me diutius declamare in porticu quam ipse in schola sudaverat, sed: "Adulescens" inquit "quoniam sermonem habes non publici saporis et, quod rarissimum est, amas bonam mentem, non fraudabo te arte secreta. Nil mirum <si> in his exercitationibus doctores peccant, qui necesse habent cum insanientibus furere. Nam nisi dixerint quae adulescentuli probent, ut ait Cicero, 'soli in scholis relinquuntur'. Sicut ficti adulatores cum cenas divitum captant nihil prius meditantur quam id quod putant gratissimum auditoribus fore (nec enim aliter impe-

trabunt quod petunt nisi quasdam insidias auribus fecerint), sic eloquentiae magister, nisi tanquam piscator eam imposuerit hamis escam, quam scierit appetituros esse pisciculos, sine spe praedae moratur in scopulo.

**Text 2:** Petr. 48

(ed. Müller, 1995 (BT))

[48] Trimalchio autem miti ad nos vultu respexit et: "Vinum" inquit "si non placet, mutabo; vos illud oportet bonum faciatis. Deorum beneficio non emo, sed nunc quicquid ad salivam facit, in suburbano nascitur eo, quod ego adhuc non novi. Dicitur confine esse Tarraciniensibus et Tarentinis. Nunc coniungere agellis Siciliam volo, ut cum Africam libuerit ire, per meos fines navigem. Sed narra tu mihi, Agamemnon, quam controversiam hodie declamasti? Ego etiam si causas non ago, in domusionem tamen litteras didici. Et ne me putes studia fastiditum, II bybliotheas habeo, unam Graecam, alteram Latinam. Dic ergo, si me amas, peristasim declamationis tuae." Cum dixisset Agamemnon: "Pauper et dives inimici erant...", ait Trimalchio: "Quid est pauper?" "Vrbane" inquit Agamemnon et nescio quam controversiam exposuit. Statim Trimalchio "hoc" inquit "si factum est, controversia non est; si factum non est, nihil est." Haec aliaque cum effusissimis prosequeremur laudationibus, "rogo" inquit "Agamemnon mihi carissime, numquid duodecim aerumnas Herculis tenes, aut de Vluxe fabulam, quemadmodum illi Cyclops pollicem †poricino† extorsit? Solebam haec ego puer apud Homerum legere. Nam Sibyllam quidem Cumis ego ipse oculis meis vidi in ampulla pendere, et cum illi pueri dicerent: Σίβυλλα, τί θέλεις; respondebat illa: ἀποθανεῖν θέλω."

**Text 3:** Sen. *dial.* 9, 9, 7

(ed. Reynolds, 1977 (OCT))

Apud desidiosissimos ergo uidebis quicquid orationum historiarumque est, tecto tenus exstructa loculamenta: iam enim inter balnearia et thermas bibliotheca quoque ut necessarium domus ornamentum expolitur. Ignoscerem plane, si studiorum nimia cupidine erraretur: nunc ista conquisita, cum imaginibus suis discripta [et] sacrorum opera ingeniorum in speciem et cultum parietum comparantur.

**Text 4:** Suet. *gramm.* 16

(ed. Brugnoli, 1963 (BT))

[16] Q. Caecilius Epirota Tusculi natus, libertus Atti<ci> equitis Romani ad quem sunt Ciceronis epistolae cum filiam patroni nuptam M. Agrippae doceret, suspectus in ea et ob hoc remotus ad Cornelium Gallum se contulit vixitque una familiarissime quod ipsi Gallo inter gravissima crimina ab Augusto obicitur. Post deinde damnationem mortemque Galli scholam aperuit sed ita ut paucis et tantum adolescentibus praeciperet, praetextato nemini nisi si cuius parenti hoc officium negare non posset. Primus dicitur Latine ex tempore disputasse primusque Virgilium et alios poetas novos praelegere coepisse, quod etiam Domitii Marsi versiculis indicat<ur> *Epirota tenellorum nutricula vatam*.

**Text 5:** Hor. *epist.* 2, 1, 88-92 (ed. Klingner, 1959 (BT))

ingeniis non ille fauet plauditque sepultis,  
nostra sed inpugnat, nos nostrarque liuidus odit.  
Quodsi tam Graecis nouitas inuisa fuisset 90  
quam nobis, quid nunc esset uetus? Aut quid haberet  
quod legeret tereretque uiritim publicus usus?

**Prof. Dr. Ulrich Eigler**  
**Vorlesung HS 13**  
**Die lateinische Literatur des 1. Jh.s n. Chr.**  
**4. Kollegstunde (10. Oktober 2013)**  
**Literatur und Welt**

**Texte:** 1. Sen. *epist.* 88, 1-3  
 2. Sen. *epist.* 88, 7-8  
 3. Sen. *contr.* 1, 2  
 4. Quint. *inst.* 10, 2

**Text 1:** Sen. *epist.* 88, 1-3 (ed. Reynolds, 1965 (OCT))

[1] De liberalibus studiis quid sentiam scire desideras: nullum suspicio, nullum in bonis numero quod ad aes exit. Meritoria artificia sunt, hactenus utilia si praeparant ingenium, non detinent. Tamdiu enim istis inmorandum est quamdiu nihil animus agere maius potest; rudimenta sunt nostra, non opera. [2] Quare liberalia studia dicta sint vides: quia homine libero digna sunt. Ceterum unum studium vere liberale est quod liberum facit, hoc est sapientiae, sublime, forte, magnanimum: cetera pusilla et puerilia sunt. An tu quicquam in istis esse credis boni quorum professores turpissimos omnium ac flagitiosissimos cernis? Non discere debemus ista, sed didicisse. Quidam illud de liberalibus studiis quaerendum iudicaverunt, an virum bonum facerent: ne promittunt quidem nec huius rei scientiam adfectant. [3] Grammatice circa curam sermonis versatur et, si latius evagari vult, circa historias, iam ut longissime fines suos proferat, circa carmina. Quid horum ad virtutem viam sternit? Syllabarum enarratio et verborum diligentia et fabularum memoria et versuum lex ac modificatio – quid ex his metum demit, cupiditatem eximit, libidinem frenat?

**Text 2:** Sen. *epist.* 88, 7-8 (ed. Reynolds, 1965 (OCT))

[7] Quaeris Ulixes ubi erraverit potius quam efficias ne nos semper erremus? Non vacat audire utrum inter Italiam et Siciliam iactatus sit an extra notum nobis orbem (neque enim potuit in tam angusto error esse tam longus): tempestates nos animi cotidie iactant et nequitia in omnia Ulixis mala inpellit. Non deest forma quae sollicitet oculos, non hostis; hinc monstra effera et humano cruore gaudentia, hinc insidiosa blandimenta aurium, hinc naufragia et tot varietates malorum. Hoc me doce, quomodo patriam amem, quomodo uxorem, quomodo patrem, quomodo ad haec tam honesta vel naufragus navigem. [8] Quid inquiris an Penelopa inpudica fuerit, an verba saeculo suo dederit? an Ulixem illum esse quem videbat, antequam sciret, suspicata sit? Doce me quid sit pudicitia et quantum in ea bonum, in corpore an in animo posita sit.

**Text 3:** Sen. *contr.* 1, 2 (ed. Håkanson, 1989 (BT))

SACERDOS CASTA E CASTIS, PVRA E PVRIS SIT. Quaedam virgo a piratis capta venit; empta a lenone et prostituta est. venientes ad se exorabat stipem. militem, qui ad se venerat, cum exorare



non posset, colluctantem et vim inferre volentem occidit. accusata et absoluta et remissa ad suos est. petit sacerdotium. contradicitur.

**Text 4:** Quint. *inst.* 10, 2 (ed. Winterbottom, 1952 (OCT))

[1] Ex his ceterisque lectione dignis auctoribus et verborum sumenda copia est et varietas figurarum et componendi ratio, tum ad exemplum virtutum omnium mens derigenda. Neque enim dubitari potest quin artis pars magna contineatur imitatione. Nam ut invenire primum fuit estque praecipuum, sic ea quae bene inventa sunt utile sequi. [2]. Atque omnis vitae ratio sic constat, ut quae probamus in aliis facere ipsi velimus. Sic litterarum ductus, ut scribendi fiat usus, pueri secuntur, sic musici vocem docentium, pictores opera priorum, rustici probatam experimento culturam in exemplum intuentur, omnis denique disciplinae initia ad propositum sibi praescriptum formari videmus. [3]. Et hercule necesse est aut similes aut dissimiles bonis simus. Similem raro natura praestat, frequenter imitatio. Sed hoc ipsum, quod tanto faciliorem nobis rationem rerum omnium facit quam fuit iis qui nihil quod sequerentur habuerunt, nisi caute et cum iudicio adprehenditur nocet.

[4]. Ante omnia igitur imitatio per se ipsa non sufficit, vel quia pigri est ingenii contentum esse iis quae sint ab aliis inventa. Quid enim futurum erat temporibus illis quae sine exemplo fuerunt si homines nihil nisi quod iam cognovissent faciendum sibi aut cogitandum putassent? Nempe nihil fuisset inventum. [5] Cur igitur nefas est reperiri aliquid a nobis quod ante non fuerit? An illi rudes sola mentis natura ducti sunt in hoc, ut tam multa generarent: nos ad quaerendum non eo ipso concitemur, quod certe scimus invenisse eos qui quaesierunt? [6] Et cum illi, qui nullum cuiusquam rei habuerunt magistrum, plurima in posteros tradiderint, nobis usus aliarum rerum ad eruendas alias non proderit, sed nihil habebimus nisi beneficii alieni? Quem ad modum quidam pictores in id solum student, ut describere tabulas mensuris ac lineis sciant. [7] Turpe etiam illud est, contentum esse id consequi quod imiteris. Nam rursus quid erat futurum si nemo plus effecisset eo quem sequebatur? Nihil in poetis supra Livium Andronicum, nihil in historiis supra pontificum annales haberemus; ratibus adhuc navigaremus, non esset pictura nisi quae lineas modo extremas umbrae quam corpora in sole fecissent circumscriberet. [8] Ac si omnia percenseas, nulla sit ars qualis inventa est, nec intra initium stetit: nisi forte nostra potissimum tempora damnamus huius infelicitatis, ut nunc demum nihil crescat: nihil autem crescit sola imitatione. [9] Quod si prioribus adicere fas non est, quo modo sperare possumus illum oratorem perfectum: cum in iis quos maximos adhuc novimus nemo sit inventus in quo nihil aut desideretur aut reprehendatur. Sed etiam qui summa non adpetent, contendere potius quam sequi debent. [10] Nam qui hoc agit, ut prior sit, forsitan, etiam si non transierit, aequabit. Eum vero nemo potest aequare cuius vestigiis sibi utique insistendum putat: necesse est enim semper sit posterior qui sequitur. Adde quod plerumque facilius est plus facere quam idem: tantam enim difficultatem habet similitudo ut ne ipsa quidem natura in hoc ita evaluerit, ut non res quae simillimae quaeque pares maxime videantur utique discrimine aliquo discernantur. [11] Adde quod quidquid alteri simile est necesse est minus sit eo quod imitatur, ut umbra corpore et imago facie et actus histrionum veris adfectibus. Quod in orationibus quoque evenit. Namque iis quae in exemplum adsumimus subest natura et

vera vis, contra omnis imitatio facta est et ad alienum propositum commodatur. [12] Quo fit ut minus sanguinis ac virium declamationes habeant quam orationes, quod in illis vera, in his adsimulata materia est. Adde quod ea quae in oratore maxima sunt imitabilia non sunt, ingenium, inventio, vis, facilitas et quidquid arte non traditur. [13] Ideoque plerique, cum verba quaedam ex orationibus excerpserunt aut aliquos compositionis certos pedes, mire a se quae legerunt effingi arbitrantur, cum et verba intercidant invalescantque temporibus, ut quorum certissima sit regula in consuetudine, eaque non sua natura sint bona aut mala (nam per se soni tantum sunt), sed prout oportune proprieque aut secus conlocata sunt, et compositio cum rebus accommodata sit, tum ipsa varietate gratissima.

[14] Quapropter exactissimo iudicio circa hanc partem studiorum examinanda sunt omnia. Primum, quos imitemur: nam sunt plurimi qui similitudinem pessimi cuiusque et corruptissimi concupierint: tum in ipsis quos elegerimus quid sit <ad> quod nos efficiendum comparemus. [15] Nam in magnis quoque auctoribus incidunt aliqua vitiosa et a doctis, inter ipsos etiam mutuo reprehensa: atque utinam tam bona imitantes dicerent melius quam mala peius dicunt. Nec vero saltem iis quibus ad evitanda vitia iudicii satis fuit sufficiat imaginem virtutis effingere et solam, ut <ita> dixerim, cutem vel potius illas Epicuri figuras, quas e summis corporibus dicit effluere. [16] Hoc autem iis accidit qui non introspectis penitus virtutibus ad primum se velut aspectum orationis aptarunt: et cum iis felicissime cessit imitatio, verbis atque numeris sunt non multum differentes, vim dicendi atque inventionis non adsecuntur, sed plerumque declinant in peius et proxima virtutibus vitia comprehendunt fiuntque pro grandibus tumidi, pressis exiles, fortibus temerarii, laetis corrupti, compositis exultantes, simplicibus neglegentes. [17] Ideoque qui horride atque incomposite quid libet illud frigidum et inane extulerunt, antiquis se pares credunt, qui carent cultu atque sententiis, Atticis; scilicet [qui] praecisis conclusionibus obscuri Sallustium atque Thucydiden superant, tristes ac ieiuni Pollionem aemulantur; otiosi et supini, si quid modo longius circumduxerunt, iurant ita Ciceronem locuturum fuisse. [18] Noveram quosdam qui se pulchre expressisse genus illud caelestis huius in dicendo viri sibi viderentur si in clausula posuissent "esse videatur". Ergo primum est ut quod imitaturus est quisque intellegat, et quare bonum sit sciat.

[19] Tum in suscipiendo onere consulat suas vires. Nam quaedam sunt imitabilia quibus aut infirmitas naturae non sufficiat aut diversitas repugnet: ne cui tenue ingenium erit sola velit fortia et abrupta, cui forte quidem sed indomitum amore subtilitatis et vim suam perdat et elegantiam quam cupit non persequatur: nihil est enim tam indecens quam cum mollia dure fiunt. [20] Atque ego illi praeceptori quem institueram in libro secundo credidi non ea sola docenda esse ad quae quemque discipulorum natura compositum videret: nam is et adiuvere debet quae in quoque eorum invenit bona et quantum fieri potest adicere quae desunt et emendare quaedam et mutare. Rector enim est alienorum ingeniorum atque formator; difficilius est naturam suam fingere. [21] Sed ne ille quidem doctor, quamquam omnia quae recta sunt velit esse in suis auditoribus quam plenissima, in eo tamen cui naturam obstare viderit laborabit.

Id quoque vitandum, in quo magna pars errat, ne in oratione poetas nobis et historicos, in illis operibus oratores aut declamatores imitandos putemus. [22] Sua cuique proposito lex, suus decor est: nec comoedia in coturnos adsurgit, nec contra tragoedia socco ingreditur. Habet tamen omnis eloquentia aliquid commune: id imitemur quod commune est.

[23] Etiam hoc solet incommodi accidere iis qui se uni alicui generi dediderunt, ut, si asperitas iis placuit alicuius, hanc etiam in leni ac remisso causarum genere non exuant: si tenuitas aut iucunditas, in asperis gravibusque causis ponderi rerum parum respondeant: cum sit diversa non causarum modo inter ipsas condicio, sed in singulis etiam causis partium, sintque alia leniter alia aspere, alia concitate alia remisse, alia docendi alia movendi gratia dicenda, quorum omnium dissimilis atque diversa inter se ratio est. [24] Itaque ne hoc quidem suaserim, uni se alicui proprie quem per omnia sequatur addicere. Longe perfectissimus Graecorum Demosthenes, aliquid tamen aliquo in loco melius alii (plurima ille). [25] Sed non qui maxime imitandus, et solus imitandus est. Quid ergo? non est satis omnia sic dicere quo modo M. Tullius dixit? Mihi quidem satis esset si omnia consequi possem. Quid tamen noceret vim Caesaris, asperitatem Caeli, diligentiam Polionis, iudicium Calvi quibusdam in locis adsumere? [26] Nam praeter id quod prudentis est quod in quoque optimum est, si possit, suum facere, tum in tanta rei difficultate unum intuentis vix aliqua pars sequitur; ideoque cum totum exprimere quem elegeris paene sit homini inconcessum, plurimum bona ponamus ante oculos, ut aliud ex alio haereat, et quo quidque loco conveniat aptemus. [27] Imitatio autem (nam saepius idem dicam) non sit tantum in verbis. Illuc intendenda mens, quantum fuerit illis viris decoris in rebus atque personis, quod consilium, quae dispositio, quam omnia, etiam quae delectationi videantur data, ad victoriam spectent: quid agatur prohoemio, quae ratio et quam varia narrandi, quae vis probandi ac refellendi, quanta in adfectibus omnis generis movendis scientia, quamque laus ipsa popularis utilitatis gratia adsumpta, quae tum est pulcherrima cum sequitur, non cum arcessitur. Haec si perviderimus, tum vere imitabimur. [28] Qui vero etiam propria his bona adiecerit, ut suppleat quae deerant, circumcidat si quid redundabit, is erit quem quaerimus perfectus orator: quem nunc consummari potissimum oporteat, cum tanto plura exempla bene dicendi supersunt quam illis qui adhuc summi sunt contigerunt. Nam erit haec quoque laus eorum, ut priores superasse, posteros docuisse dicantur.

**Prof. Dr. Ulrich Eigler**  
**Vorlesung HS 13**  
**Die lateinische Literatur des 1. Jh.s n. Chr.**  
**5. Kollegstunde (17. Oktober 2013)**  
**Dichten im kaiserlichen Rom**

**Texte:** 1. Verg. *ecl.* 2, 56-73  
 2. Calp. Sic. *ecl.* 7, 1-46  
 3. Phaedr. 1, *prol.*; 1

**Text 1:** Verg. *ecl.* 2, 56-73 (ed. Mynors, 1969 (OCT))

Rusticus es, Corydon; nec munera curat Alexis  
 nec, si muneribus certes, concedat Iollas.  
 heu heu, quid volui misero mihi? floribus Austrum  
 perditus et liquidis inmissi fontibus apros.  
 Quem fugis, a! demens? habitarunt di quoque silvas 60  
 Dardaniusque Paris. Pallas quas condidit arces  
 ipsa colat; nobis placeant ante omnia silvae.  
 torva leaena lupum sequitur, lupus ipse capellam,  
 florentem cytisum sequitur lasciva capella,  
 te Corydon, o Alexi: trahit sua quemque voluptas. 65  
 Aspice, aratra iugo referunt suspensa iuveni  
 et sol crescentis decedens duplicat umbras;  
 me tamen urit amor: quis enim modus adsit amori?  
 a, Corydon, Corydon, quae te dementia cepit!  
 semiputata tibi frondosa vitis in ulmo est: 70  
 quin tu aliquid saltem potius, quorum indiget usus,  
 viminibus mollique paras detexere iunco?  
 inuenies alium, si te hic fastidit, Alexin.'

**Text 2:** Calp. Sic. *ecl.* 7, 1-46 (ed. Korzeniewski, 1971 (Wiss. Buchgesellschaft Darmstadt))

Lycotas

Lentus ab urbe venis, Corydon; vicesima certe 1  
 nox fuit, ut nostrae cupiunt te cernere silvae,  
 ut tua maerentes exspectant iubila tauri.

Corydon

O piger, o duro non mollior axe, Lycota, 5  
 qui veteres fagos nova quam spectacula mavis  
 cernere, quae patula iuuenis deus edit harena.

## Lycotas

Mirabar, quae tanta foret tibi causa morandi,  
 cur tua cessaret taciturnis fistula silvis  
 et solus Stimicon caneret, pallente corymbo  
 quem sine te maesti <et> tenero donavimus haedo. 10  
 nam, dum lentus abes, lustravit ovilia Thyrsis,  
 iussit et arguta iuvenes certare cicuta.

## Corydon

Sit licet invictus Stimicon et praemia dives  
 auferat, accepto nec solum gaudeat haedo,  
 verum tota ferat quae lustrat ovilia Thyrsis: 15  
 non tamen aequabit mea gaudia; nec mihi, si quis  
 omnia Lucanae donet pecuaria silvae,  
 grata magis fuerint quam quae spectavimus urbe.

## Lycotas

Dic age dic, Corydon, nec nostras invidus aures  
 despice: non aliter certe mihi dulce loquere, 20  
 quam cantare soles, quotiens ad sacra vocatur  
 aut fecunda Pales aut pastoralis Apollo.

## Corydon

Vidimus in caelum trabibus spectacula textis  
 surgere, Tarpeium prope despectantia culmen,  
 emensosque gradus et clivos lene iacentes. 25  
 venimus ad sedes, ubi pulla sordida veste  
 inter femineas spectabat turba cathedras.  
 nam quaecumque patent sub aperto libera caelo,  
 aut eques aut nivei loca densavere tribuni.  
 qualiter haec patulum concedit vallis in orbem 30  
 et sinuata latus resupinis undique silvis  
 inter continuos curvatur concave montes,  
 sic ibi planitiem curvae sinus ambit harenae  
 et geminis medium se molibus alligat ovum.  
 quid tibi nunc referam, quae vix suffecimus ipsi 35  
 per partes spectare suas? sic undique fulgor  
 percussit. stabam defixus et ore patenti  
 cunctaque mirabar necdum bona singula noram,  
 cum mihi tum senior, lateri qui forte sinistro

iunctus erat, "quid te stupefactum, rustice", dixit, 40  
 "ad tantas miraris opes, qui nescius auri  
 sordida tecta, casas, et sola mapalia nosti?  
 en ego iam tremulus et vertice canus et ista  
 factus in urbe senex stupeo tamen omnia certe."  
 Vilia sunt nobis quaecumque prioribus annis 45  
 vidimus, et sordet quidquid spectavimus olim.

**Text 3:** Phaedr. 1, *prol.*; 1 (ed. Brenot, 1961 (Paris, Les Belles Lettres))

Prologus  
 Aesopus auctor quam materiam repperit,  
 Hanc ego polivi versibus senariis.  
 Duplex libelli dos est: quod risum movet  
 Et quod prudentis vitam consilio monet.  
 Calumniari si quis autem voluerit, 5  
 Quod arbores loquantur, non tantum ferae,  
 Fictis iocari nos meminerit fabulis.

I. Lupus et Agnus  
 Ad rivum eundem lupus et agnus venerant  
 siti compulsi. Superior stabat lupus  
 longeque inferior agnus. Tunc fauce improba  
 latro incitatus iurgii causam intulit.  
 "Cur" inquit "turbulentam fecisti mihi 5  
 aquam bibenti?" Laniger contra timens:  
 "Qui possum, quaeso, facere quod quereris, lupe?  
 A te decurrit ad meos haustus liquor."  
 Repulsus ille veritatis viribus:  
 "Ante hos sex menses male" ait "dixisti mihi." 10  
 Respondit agnus: "Equidem natus non eram."  
 "Pater hercle tuus" ille inquit "male dixit mihi";  
 atque ita correptum lacerat iniusta nece.  
 Haec propter illos scripta est homines fabula  
 qui fictis causis innocentes opprimunt.

**Prof. Dr. Ulrich Eigler**  
**Vorlesung HS 13**  
**Die lateinische Literatur des 1. Jh.s n. Chr.**  
**6. Kollegstunde (24. Oktober 2013)**  
**Prinzipat und Freiheit**

- Texte:** 1. Tac. *Agr.* 3  
 2. Verg. *Aen.* 1, 1-33  
 3. Luc. 1, 1-66  
 4. Cic. *off.* 2, 1-2, 5  
 5. Cic. *Tusc.* 5, 1-11;  
 6. Sen. *epist.* 89, 8

**Text 1:** Tac. *Agr.* 3 (ed. Köstermann, 1959 (BT))

[3] Nunc demum redit animus; et quamquam primo statim beatissimi saeculi ortu Nerva Caesar res olim dissociabiles miscuerit, principatum ac libertatem, augeatque cotidie felicitatem temporum Nerva Traianus, nec spem modo ac votum securitas publica, sed ipsius voti fiduciam ac robur assumpserit, natura tamen infirmitatis humanae tardiora sunt remedia quam mala; et ut corpora nostra lente augescunt, cito extinguuntur, sic ingenia studiaque oppresseris facilius quam revocaveris; subit quippe etiam ipsius inertiae dulcedo, et invisae primo desidia postremo amatur. quid, si per quindecim annos, grande mortalis aevi spatium, multi fortuitis casibus, promptissimus quisque saevitia principis interciderunt? pauci et, ut ita dixerim, non modo aliorum sed etiam nostri superstites sumus, exemptis e media vita tot annis, quibus iuvenes ad senectutem, senes prope ad ipsos exactae aetatis terminos per silentium venimus. Non tamen pigebit vel incondita ac rudi voce memoriam prioris servitutis ac testimonium praesentium bonorum composuisse. Hic interim liber honori Agricolae soceri mei destinatus, professione pietatis aut laudatus erit aut excusatus.

**Text 2:** Verg. *Aen.* 1, 1-33 (ed. Mynors, 1969 (OCT))

Arma virumque cano, Troiae qui primus ab oris  
 Italiam fato profugus Laviniaque venit  
 litora, multum ille et terris iactatus et alto  
 vi superum, saevae memorem Iunonis ob iram,  
 multa quoque et bello passus, dum conderet urbem, 5  
 inferretque deos Latio; genus unde Latinum  
 Albanique patres atque altae moenia Romae.  
 Musa, mihi causas memora, quo numine laeso  
 quidve dolens regina deum tot volvere casus  
 insignem pietate virum, tot adire labores 10  
 impulerit. tantaene animis caelestibus irae?  
 Urbs antiqua fuit (Tyrii tenuere coloni)  
 Karthago, Italiam contra Tiberinaque longe

ostia, dives opum studiisque asperrima belli,  
 quam Iuno fertur terris magis omnibus unam 15  
 posthabita coluisse Samo. hic illius arma,  
 hic currus fuit; hoc regnum dea gentibus esse,  
 si qua fata sinant, iam tum tenditque fovetque.  
 progeniem sed enim Troiano a sanguine duci  
 audierat Tyrias olim quae verteret arces; 20  
 hinc populum late regem belloque superbum  
 venturum excidio Libyae; sic volvere Parcas.  
 id metuens veterisque memor Saturnia belli,  
 prima quod ad Troiam pro caris gesserat Argis—  
 necdum etiam causae irarum saevique dolores 25  
 exciderant animo; manet alta mente repostum  
 iudicium Paridis spretaeque iniuria formae  
 et genus invisum et rapti Ganymedis honores:  
 his accensa super, iactatos aequore toto  
 Troas, reliquias Danaum atque immitis Achilli, 30  
 arcebat longe Latio, multosque per annos  
 errabant acti fati maria omnia circum.  
 tantae molis erat Romanam condere gentem!

**Text 3:** Luc. 1, 1-66

(ed. Housman, 1926 (OCT))

Bella per Emathios plus quam ciuilia campos  
 iusque datum sceleri canimus, populumque potentem  
 in sua uictrici conuersum uiscera dextra  
 cognatasque acies, et rupto foedere regni  
 certatum totis concussi uiribus orbis 5  
 in commune nefas, infestisque obuia signis  
 signa, pares aquilas et pila minantia pilis.  
 quis furor, o ciues, quae tanta licentia ferri?  
 gentibus inuisis Latium praebere cruorem  
 cumque superba foret Babylon spolianda tropaeis 10  
 Ausoniis umbraque erraret Crassus inulta  
 bella geri placuit nullos habitura triumphos?  
 heu, quantum terrae potuit pelagique parari  
 hoc quem ciuiles hauserunt sanguine dextrae,  
 unde uenit Titan et nox ubi sidera condit 15  
 quaque dies medius flagrantibus aestuat horis  
 et qua bruma rigens ac nescia uere remitti  
 astringit Scythico glaciale frigore pontum!



sub iuga iam Seres, iam barbarus isset Araxes  
 et gens siqua iacet nascenti conscia Nilo. 20  
 tum, si tantus amor belli tibi, Roma, nefandi,  
 totum sub Latias leges cum miseris orbem,  
 in te uerte manus: nondum tibi defuit hostis.  
 at nunc semirutis pendent quod moenia tectis  
 urbibus Italiae lapsisque ingentia muris 25  
 saxa iacent nulloque domus custode tenentur  
 rarus et antiquis habitator in urbibus errat,  
 horrida quod dumis multosque inarata per annos  
 Hesperia est desuntque manus poscentibus aruis,  
 non tu, Pyrrhe ferox, nec tantis cladibus auctor 30  
 Poenus erit: nulli penitus descendere ferro  
 contigit; alta sedent ciuilis uolnera dextrae.  
 quod si non aliam uenturo fata Neroni  
 inuenere uiam magnoque aeterna parantur  
 regna deis caelumque suo seruire Tonanti 35  
 non nisi saeuorum potuit post bella gigantum,  
 iam nihil, o superi, querimur; scelera ipsa nefasque  
 hac mercede placent. diros Pharsalia campos  
 inpleat et Poeni saturentur sanguine manes,  
 ultima funesta concurrant proelia Munda, 40  
 his, Caesar, Perusina fames Mutinaeque labores  
 accedant fatis et quas premit aspera classes  
 Leucas et ardenti seruilia bella sub Aetna,  
 multum Roma tamen debet ciuilibus armis  
 quod tibi res acta est. te, cum statione peracta 45  
 astra petes serus, praelati regia caeli  
 excipiet gaudente polo: seu sceptrata tenere  
 seu te flammigeros Phoebi conscendere currus  
 telluremque nihil mutato sole timentem  
 igne uago lustrare iuuat, tibi numine ab omni 50  
 cedetur, iurisque tui natura relinquet  
 quis deus esse uelis, ubi regnum ponere mundi.  
 sed neque in Arctoo sedem tibi legeris orbe  
 nec polus auersi calidus qua uergitur Austri,  
 unde tuam uideas obliquo sidere Romam. 55  
 aetheris inmensi partem si presseris unam,  
 sentiet axis onus. librati pondera caeli  
 orbe tene medio; pars aetheris illa sereni  
 tota uacet nullaeque obstent a Caesare nubes.

tum genus humanum positis sibi consulat armis	60
inque uicem gens omnis amet; pax missa per orbem	
ferrea belligeri conpescat limina Iani.	
sed mihi iam numen; nec, si te pectore uates	
accipio, Cirrhaea uelim secreta mouentem	
sollicitare deum Bacchumque auertere Nysa:	65
tu satis ad uires Romana in carmina dandas.	

**Text 4:** Cic. *off.* 2, 1-2, 5 (ed. Atzert, 1949 (BT))

[1] Quemadmodum officia ducerentur ab honestate, Marce fili, atque ab omni genere virtutis, satis explicatum arbitror libro superiore. Sequitur ut haec officiorum genera persequar, quae pertinent ad vitae cultum et ad earum rerum, quibus utuntur homines, <commoditates, ad> facultatem, ad opes, ad copias; in quo tum quaeri dixi, quid utile, quid inutile, tum ex utilibus quid utilius aut quid maxime utile. De quibus dicere adgrediar, si pauca prius de instituto ac de iudicio meo dixerō. [2] Quamquam enim libri nostri complures non modo ad legendi, sed etiam ad scribendi studium excitauerunt, tamen interdum vereor ne quibusdam bonis viris philosophiae nomen sit inuisum mirenturque in ea tantum me operae et temporis ponere. Ego autem quam diu res publica per eos gerebatur, quibus se ipsa commiserat, omnes meas curas cogitationesque in eam conferebam. Cum autem dominatu unius omnia tenerentur neque esset usquam consilio aut auctoritati locus, socios denique tuendae rei publicae summos viros amissem, nec me angoribus dedidi, quibus essem confectus, nisi iis restitsem, nec rursus indignis homine docto voluptatibus. [3] Atque utinam res publica stetisset quo coeperat statu nec in homines non tam commutandarum quam evertendarum rerum cupidos incidisset! Primum enim, ut stante re publica facere solebamus, in agendo plus quam in scribendo operae poneremus, deinde ipsis scriptis non ea, quae nunc, sed actiones nostras mandarem, ut saepe fecimus. Cum autem res publica, in qua omnis mea cura, cogitatio, opera poni solebat, nulla esset omnino, illae scilicet litterae conticuerunt forenses et senatoriae. [4] Nihil agere autem cum animus non posset, in his studiis ab initio versatus aetatis existimavi honestissime molestias posse deponi, si me ad philosophiam retulissem. Cui cum multum adulescens discendi causa temporis tribuissem posteaquam honoribus inservire coepi meque totum rei publicae tradidi, tantum erat philosophiae loci, quantum superfuerat amicorum et rei publicae temporis. Id autem omne consumebatur in legendo, scribendi otium non erat. [5] Maximis igitur in malis hoc tamen boni assecuti videmur, ut ea litteris mandarem, quae nec erant satis nota nostris et erant cognitione dignissima. Quid enim est, per deos, optabilius sapientia, quid praestantius, quid homini melius, quid homine dignius? Hanc igitur qui expetunt, philosophi nominantur, nec quicquam aliud est philosophia, si interpretari velis, praeter studium sapientiae. Sapientia autem est, ut a veteribus philosophis definitum est, rerum divinarum et humanarum causarumque, quibus eae res continentur, scientia, cuius studium qui vituperat haud sane intellego quidnam sit quod laudandum putet.

**Text 5:** Cic. *Tusc.* 5, 1-11

(ed. Pohlenz, 1982 (BT))

[1] Quintus hic dies, Brute, finem faciet Tusculanarum disputationum, quo die est a nobis ea de re, quam tu ex omnibus maxime probas, disputatum. Placere enim tibi admodum sensi et ex eo libro, quem ad me accuratissime scripsisti, et ex multis sermonibus tuis virtutem ad beate vivendum se ipsa esse contentam. Quod etsi difficile est probatu propter tam varia et tam multa tormenta fortunae, tale tamen est, ut elaborandum sit, quo facilius probetur. Nihil est enim omnium quae in philosophia tractantur, quod gravius magnificentiusque dicatur. [2] Nam cum ea causa impulerit eos qui primi se ad philosophiae studium contulerunt, ut omnibus rebus posthabitis totos se in optimo vitae statu exquirendo conlocarent, profecto spe beate vivendi tantam in eo studio curam operamque posuerunt. Quodsi ab is inventa et perfecta virtus est, et si praesidii ad beate vivendum in virtute satis est, quis est qui non praeclare et ab illis positam et a nobis susceptam operam philosophandi arbitretur? Sin autem virtus subiecta sub varios incertosque casus famula fortunae est nec tantarum virium est, ut se ipsa tueatur, vereor ne non tam virtutis fiducia nitendum nobis ad spem beate vivendi quam vota facienda videantur. [3] Equidem eos casus, in quibus me fortuna vehementer exercuit, mecum ipse considerans huic incipio sententiae diffidere interdum et humani generis imbecillitatem fragilitatemque extimescere. Vereor enim ne natura, cum corpora nobis infirma dedisset isque et morbos insanabilis et dolores intolerabilis adiunxisset, animos quoque dederit et corporum doloribus congruentis et separatim suis angoribus et molestiis implicatos. [4] Sed in hoc me ipse castigo, quod ex aliorum et ex nostra fortasse mollitia, non ex ipsi virtute de virtutis robore existumo. Illa enim, si modo est ulla virtus, quam dubitationem avunculus tuus, Brute, sustulit, omnia, quae cadere in hominem possunt, subter se habet eaque despiciens casus contemnit humanos culpaque omni carens praeter se ipsam nihil censet ad se pertinere. Nos autem omnia adversa cum venientia metu augentes, tum maerore praesentia rerum naturam quam errorem nostrum damnare malumus.

[5] Sed et huius culpa et ceterorum vitiorum peccatorumque nostrorum omnis a philosophia petenda correctio est. Cuius in sinum cum a primis temporibus aetatis nostra voluntas studiumque nos compulisset, his gravissimis casibus in eundem portum, ex quo eramus egressi, magna iactati tempestate confugimus. O vitae philosophia dux, o virtutis indagatrix expultrixque vitiorum! quid non modo nos, sed omnino vita hominum sine te esse potuisset? Tu urbis peperisti, tu dissipatos homines in societatem vitae convocasti, tu eos inter se primo domiciliis, deinde coniugiis, tum litterarum et vocum communione iunxisti, tu inventrix legum, tu magistra morum et disciplinae fuisti; ad te confugimus, a te opem petimus, tibi nos, ut antea magna ex parte, sic nunc penitus totosque tradimus. Est autem unus dies bene et ex praeceptis tuis actus peccanti immortalitati anteponendus. [6] Cuius igitur potius opibus utamur quam tuis, quae et vitae tranquillitatem largita nobis es et terrorem mortis sustulisti? Ac philosophia quidem tantum abest ut proinde ac de hominum est vita merita laudetur, ut a plerisque neglecta a multis etiam vituperetur. Vituperare quisquam vitae parentem et hoc parricidio se inquinare audet et tam impie ingratus esse, ut eam accuset, quam vereri deberet, etiamsi minus percipere potuisset? Sed, ut opinor, hic error et haec indoctorum animis offusa caligo est, quod tam longe retro respicere non possunt nec eos, a quibus vita hominum instructa primis sit, fuisse philosophos arbitrantur. [7] Quam rem antiquissimam cum videamus, nomen tamen esse confitemur recens. Nam sapientiam quidem ipsam quis negare

potest non modo re esse antiquam, verum etiam nomine? Quae divinarum humanarumque rerum, tum initiorum causarumque cuiusque rei cognitione hoc pulcherrimum nomen apud antiquos adsequebatur. Itaque et illos septem, qui a Graecis σοφοί, sapientes a nostris et habebantur et nominabantur, et multis ante saeculis Lycurgum, cuius temporibus Homerus etiam fuisse ante hanc urbem conditam traditur, et iam heroicis aetatibus Ulixem et Nestorem accepimus et fuisse et habitos esse sapientis. [8] Nec vero Atlans sustinere caelum nec Prometheus adfixus Caucasus nec stellatus Cepheus cum uxore genero filia traderetur, nisi caelestium divina cognitio nomen eorum ad errorem fabulae traduxisset. A quibus ducti deinceps omnes, qui in rerum contemplatione studia ponebant, sapientes et habebantur et nominabantur, idque eorum nomen usque ad Pythagorae manavit aetatem. Quem, ut scribi auditor Platonis Ponticus Heraclides, vir doctus in primis, Phliuntem ferunt venisse, eumque cum Leonte, principe Phliasiorum, docte et copiose disseruisse quaedam. Cuius ingenium et eloquentiam cum admiratus esset Leon, quaesivisse ex eo, qua maxime arte confideret; at illum: artem quidem se scire nullam, sed esse philosophum. Admiratum Leontem novitatem nominis quaesivisse, quinam essent philosophi, et quid inter eos et reliquos interesset; [9] Pythagoram autem respondisse similem sibi videri vitam hominum et mercatum eum, qui haberetur maximo ludorum apparatu totius Graeciae celebritate; nam ut illic alii corporibus exercitatis gloriam et nobilitatem coronae peterent, alii emendi aut vendendi quaestu et lucro ducerentur, esset autem quoddam genus eorum, idque vel maxime ingenuum, qui nec plausum nec lucrum quaerent, sed visendi causa venirent studioseque perspicerent, quid ageretur et quo modo, item nos quasi in mercatus quandam celebritatem ex urbe aliqua sic in hanc vitam ex alia vita et natura profectos alios gloriae servire, alios pecuniae, raros esse quosdam, qui ceteris omnibus pro nihilo habitis rerum naturam studiose intuerentur; hos se appellare sapientiae studiosos – id est enim philosophos –; et ut illic liberalissimum esset spectare nihil sibi adquirentem, sic in vita longe omnibus studiis contemplationem rerum, cognitionemque praestare.

[10] Nec vero Pythagoras nominis solum inventor, sed rerum etiam ipsarum amplificator fuit. Qui cum post hunc Phliasium sermonem in Italiam venisset, exornavit eam Graeciam, quae magna dicta est, et privatim et publice praestantissimis et institutis et artibus. Cuius de disciplina aliud tempus fuerit fortasse dicendi. Sed ab antiqua philosophia usque ad Socratem, qui Archelaum, Anaxagorae discipulum, audierat, numeri motusque tractabantur, et unde omnia orerentur quoque reciderent, studioseque ab is siderum magnitudines intervalla cursus anquirebantur et cuncta caelestia. Socrates autem primus philosophiam devocavit e caelo et in urbibus conlocavit et in domus etiam introduxit et coegit de vita et moribus rebusque bonis et malis quaerere. [11] Cuius multiplex ratio disputandi rerumque varietas et ingeni magnitudo Platonis memoria et litteris consecrata plura genera effecit dissentientium philosophorum, e quibus nos id potissimum consecuti sumus, quo Socratem usum arbitrabamur, ut nostram ipsi sententiam tegeremus, errore alios leveremus et in omni disputatione, quid esset simillimum veri, quaereremus. Quem morem cum Carneades acutissime copiosissimeque tenuisset, fecimus et alias saepe et nuper in Tusculano, ut ad eam consuetudinem disputaremus. Et quadridui quidem sermonem superioribus ad te perscriptum libris misimus, quinto autem die cum eodem in loco consedissemus, sic est propositum, de quo disputaremus:

**Text 6:** Sen. *epist.* 89, 8 (ed. Reynolds, 1965 (OCT))

Quidam ex nostris, quamvis philosophia studium virtutis esset et haec peteretur, illa peteret, tamen non putaverunt illas distrahi posse; nam nec philosophia sine virtute est nec sine philosophia virtus. Philosophia studium virtutis est, sed per ipsam virtutem; nec virtus autem esse sine studio sui potest nec virtutis studium sine ipsa. Non enim quemadmodum in iis qui aliquid ex distante loco ferre conantur alibi est qui petit, alibi quod petitur; nec quemadmodum itinera quae ad urbes perducunt <extra urbes sunt, sic viae ad virtutem> extra ipsam: ad virtutem venit per ipsam, cohaerent inter se philosophia virtusque.

**Prof. Dr. Ulrich Eigler**  
**Vorlesung HS 13**  
**Die lateinische Literatur des 1. Jh.s n. Chr.**  
**7. Kollegstunde (31. Oktober 2013)**  
**Leben und Schreiben lassen: Kultur am Hofe Neros**

**Texte:** 1. Sen. *apocoloc.* 5-7  
 2. Petr. 83

**Text 1:** Sen. *apocoloc.* 5-7 (ed. Buecheler – Heraeus, 1912 (Weidmann))

[5] Quae in terris postea sint acta, supervacuum est referre. Scitis enim optime, nec periculum est ne excidant memoriae quae gaudium publicum impresserit: nemo felicitatis suae obliviscitur. In caelo quae acta sint, audite: fides penes auctorem erit. Nuntiatur Iovi venisse quendam bonae staturae, bene canum; nescio quid illum minari, assidue enim caput movere; pedem dextrum trahere. Quaesisse se, cuius nationis esset: respondisse nescio quid perturbato sono et voce confusa; non intellegere se linguam eius, nec Graecum esse nec Romanum nec ullius gentis notae. Tum Iuppiter Herculem, qui totum orbem terrarum pererraverat et nosse videbatur omnes nationes, iubet ire et explorare, quorum hominum esset. Tum Hercules primo aspectu sane perturbatus est, ut qui etiam non omnia monstra timuerit. Ut vidit novi generis faciem, insolitum incessum, vocem nullius terrestri animalis sed qualis esse marinis beluis solet, raucam et implicatam, putavit sibi tertium decimum laborem venisse. Diligentius intuenti visus est quasi homo. Accessit itaque et quod facillimum fuit Graeculo, ait:

τίς πόθεν εἷς ἀνδρῶν, πόθι τοι πόλις ἠδὲ τοκῆς ;

Claudius gaudet esse illic philologos homines, sperat futurum aliquem historiis suis locum. Itaque et ipse Homericis versibus Caesarem se esse significans ait:

Ἰλιόθεν με φέρων ἄνεμος Κικόνεσσι πέλασσευ.

Erat autem sequens versus verior, aequae Homericus:

ἐνθα δ' ἐγὼ πόλιν ἔπραθον, ὤλεσα δ' αὐτούς.

[6] Et imposuerat Herculi minime vafro nisi fuisset illic Febris, quae fano suo relicto sola cum illo venerat: ceteros omnes deos Romae reliquerat. "Iste" inquit "mera mendacia narrat. Ego tibi dico, quae cum illo tot annis vixi: Luguduni natus est, Marci municipem vides. Quod tibi narro, ad sextum decimum lapidem natus a Vienna, Gallus germanus. Itaque quod Gallum facere oportebat, Romam cepit. Hunc ego tibi recipio Luguduni natum, ubi Licinus multis annis regnavit. Tu autem, qui plura loca calcasti quam ullus mulio perpetuarius, [Lugudunenses] scire debes multa milia inter Xanthum et Rhodanum interesse." Excandescit hoc loco Claudius et quanto potest murmure irascitur. Quid diceret, nemo intellegebat, ille autem Febrim duci iubebat. illo gestu solutae manus et ad hoc unum satis firmatae, quo decollare homines solebat, iusserat illi collum praecidi. [7] Putares omnes illius esse libertos: adeo illum nemo curabat. Tum Hercules "audi me" inquit "tu desine fatuari. Venisti huc, ubi mures ferrum rodunt. Citius mihi verum, ne tibi alogias excutiam." Et quo terribilior esset, tragicus fit et ait:

"exprome propere, sede qua genitus cluas,  
 hoc ne peremptus stipite ad terram accidas;  
 haec clava reges saepe mactavit feros.  
 Quid nunc profatu vocis incerto sonas?  
 Quae patria, quae gens mobile eduxit caput?  
 Edissere. Equidem regna tergemini petens  
 longinqua regis, unde ab Hesperio mari  
 Inachiam ad urbem nobile advexi pecus,  
 vidi duobus imminens fluviis iugum,  
 quod Phoebus ortu semper obverso videt,  
 ubi Rhodanus ingens amne praerapido fluit,  
 Araque dubitans, quo suos cursus agat,  
 tacitus quietis adluit ripas vadis.  
 Estne illa tellus spiritus altrix tui?"

Haec satis animose et fortiter, nihilo minus mentis suae non est et timet μωροῦ πληγῆν. Claudius ut vidit virum valentem, oblitus nugarum intellexit neminem Romae sibi parem fuisse, illic non habere se idem gratiae: gallum in suo sterquilino plurimum posse. Itaque quantum intellegi potuit, haec visus est dicere: "Ego te, fortissime deorum Hercule, speravi mihi adfuturum apud alios, et si qui a me notorem petisset, te fui nominaturus, qui me optime nosti. Nam si memoria repetis, ego eram qui Tiburi ante templum tuum ius dicebam totis diebus mense Iulio et Augusto. Tu scis, quantum illic miseriarum tulerim, cum causidicos audirem diem et noctem, in quos si incidisses, valde fortis licet tibi videaris, maluisses cloacas Augeae purgare: multo plus ego stercoris exhausti.

**Text 2:** Petr. 83

(ed. Müller, 1995 (BT))

In pinacothecam perveni vario genere tabularum mirabilem. Nam et Zeuxidos manus vidi nondum vetustatis iniuria victas, et Protogenis rudimenta cum ipsius naturae veritate certantia non sine quodam horrore tractavi. Iam vero Apellis quam [Graeci] monocnemon appellant, etiam adoravi. Tanta enim subtilitate extremitates imaginum erant ad similitudinem praecisae, ut crederes etiam animorum esse picturam. Hinc aquila ferebat caelo sublimis Idaeum, illinc candidus Hylas repellebat improbam Naida. Damnabat Apollo noxias manus lyramque resolutam modo nato flore honorabat. Inter quos [etiam] pictorum amantium vultus tamquam in solitudine exclamavi: "Ergo amor etiam deos tangit. Iuppiter in caelo suo non invenit quod diligeret, sed peccaturus in terris nemini tamen iniuriam fecit. Hylan Nympha praedata imperasset amori suo, si venturum ad interdictum Herculem credidisset. Apollo pueri umbram revocavit in florem, et omnes fabulae quoque sine aemulo habuerunt complexus. At ego in societatem recepi hospitem Lycurgo crudeliorem." Ecce autem, ego dum cum ventis litigo, intravit pinacothecam senex canus, exercitati vultus et qui videretur nescio quid magnum promittere, sed cultu non proinde spe-

ciosus, ut facile appareret eum <ex> hac nota litteratorum esse, quos odisse divites solent. Is ergo ad latus constitit meum...

"Ego" inquit "poeta sum et ut spero non humillimi spiritus, si modo coronis aliquid credendum est, quas etiam ad imperitos deferre gratia solet. 'Quare ergo, inquis, tam male vestitus es?' Propter hoc ipsum. Amor ingenii neminem unquam divitem fecit.

Qui pelago credit, magno se faenore tollit;  
qui pugnas et castra petit, praecingitur auro;  
vilis adulator picto iacet ebrius ostro,  
et qui sollicitat nuptas, ad praemia peccat:  
Sola pruinosis horret facundia pannis,  
atque inopi lingua desertas invocat artes.



**Prof. Dr. Ulrich Eigler**  
**Vorlesung HS 13**  
**Die lateinische Literatur des 1. Jh.s n. Chr.**  
**8. Kollegstunde (07. November 2013)**  
**Plinius und Tacitus: Vom Behagen und Unbehagen in der Kultur**

**Texte:** 1. Tac. *ann.* 4, 32-33  
 2. Plin. *epist.* 6, 20  
 3. Tac. *dial.* 34-35

**Text 1:** Tac. *ann.* 4, 32-33 (ed. Köstermann, 1952 (BT))

[32] Pleraque eorum quae rettuli quaeque referam parva forsitan et levia memoratu videri non nescius sum: sed nemo annales nostros cum scriptura eorum contenderit, qui veteres populi Romani res composuere. ingentia illi bella, expugnationes urbium, fusos captosque reges aut, si quando ad interna praeverterent, discordias consulum adversum tribunos, agrarias frumentariasque leges, plebis et optimatium certamina libero egressu memorabant: nobis in arto et inglorius labor; immota quippe aut modice laccessita pax, maestae urbis res, et princeps proferendi imperi incuriosus erat. non tamen sine usu fuerit introspicere illa primo aspectu levia ex quis magnarum saepe rerum motus oriuntur.

[33] Nam cunctas nationes et urbes populus aut primores aut singuli regunt: delecta ex iis et consociata rei publicae forma laudari facilius quam evenire, vel si evenit, haud diuturna esse potest. igitur ut olim, plebe valida vel cum patres pollerent, noscenda vulgi natura et quibus modis temperanter haberetur, senatusque et optimatium ingenia qui maxime perdidicerant, callidi temporum et sapientes credebantur, sic converso statu neque alia re Romana quam si unus imperitet, haec conquiri tradique in rem fuerit, quia pauci prudentia honesta ab deterioribus, utilia ab noxiis discernunt, plures aliorum eventis docentur. ceterum ut profutura, ita minimum oblectationis adferunt. nam situs gentium, varietates proeliorum, clari ducum exitus retinent ac redintegrant legentium animum: nos saeva iussa, continuas accusationes, fallaces amicitias, perniciem innocentium et easdem exitii causas coniungimus, obvia rerum similitudine et satietate. tum quod antiquis scriptoribus rarus obtrectator, neque refert cuiusquam Punicas Romanasve acies laetius extuleris: at multorum qui Tiberio regente poenam vel infamias subiere posterum manent, utque familiae ipsae iam exstinctae sint, reperies qui ob similitudinem morum aliena malefacta sibi obiectari putent. etiam gloria ac virtus infensos habet, ut nimis ex propinquo diversa arguens. sed <ad> inceptum redeo.

**Text 2:** Plin. *epist.* 6, 20 (ed. Mynors, 1963 (OCT))

C. PLINIUS TACITO SUO S.

(1) Ais te adductum litteris quas exigenti tibi de morte avunculi mei scripsi, cupere cognoscere, quos ego Miseni relictus (id enim ingressus abruperam) non solum metus verum etiam casus pertulerim.

'Quamquam animus meminisse horret, ...  
incipiam.'

(2) Profecto avunculo ipse reliquum tempus studiis (ideo enim remanseram) impendi; mox balineum cena somnus inquietus et brevis. (3) Praecesserat per multos dies tremor terrae, minus formidolosus quia Campaniae solitus; illa vero nocte ita invaluit, ut non moveri omnia sed verti crederentur. (4) Inrupit cubiculum meum mater; surgebam invicem, si quiesceret excitaturus. Resedimus in area domus, quae mare a tectis modico spatio dividebat. (5) Dubito, constantiam vocare an imprudentiam debeam (agebam enim duodevicesimum annum): posco librum Titi Livi, et quasi per otium lego atque etiam ut coeperam excerpo. Ecce amicus avunculi qui nuper ad eum ex Hispania venerat, ut me et matrem sedentes, me vero etiam legentem videt, illius patientiam securitatem meam corripit. Nihilo segnius ego intentus in librum.

(6) Iam hora diei prima, et adhuc dubius et quasi languidus dies. Iam quassatis circumiacentibus tectis, quamquam in aperto loco, angusto tamen, magnus et certus ruinae metus. (7) Tum demum excedere oppido visum; sequitur vulgus attonitum, quodque in pavore simile prudentiae, alienum consilium suo praefert, ingentique agmine abeuntes premit et impellit. (8) Egressi tecta consistimus. Multa ibi miranda, multas formidines patimur. Nam vehicula quae produci iusseramus, quamquam in planissimo campo, in contrarias partes agebantur, ac ne lapidibus quidem fulta in eodem vestigio quiescebant. (9) Praeterea mare in se resorberi et tremore terrae quasi repelli videbamus. Certe processerat litus, multaque animalia maris siccis harenis detinebat. Ab altero latere nubes atra et horrenda, ignei spiritus tortis vibratibusque discursibus rupta, in longas flammaram figuras dehiscibat; fulguribus illae et similes et maiores erant. (10) Tum vero idem ille ex Hispania amicus acrius et instantius 'Si frater' inquit 'tuus, tuus avunculus vivit, vult esse vos salvos; si perii, superstites voluit. Proinde quid cessatis evadere?' Respondimus non commissuros nos ut de salute illius incerti nostrae consuleremus. (11) Non moratus ultra proripit se effusoque cursu periculo aufertur. Nec multo post illa nubes descendere in terras, operire maria; cinxerat Capreas et absconderat, Miseni quod procurrit abstulerat. (12) Tum mater orare hortari iubere, quoquo modo fugerem; posse enim iuvenem, se et annis et corpore gravem bene morituram, si mihi causa mortis non fuisset. Ego contra salvum me nisi una non futurum; dein manum eius amplexus addere gradum cogo. Paret aegre incusatque se, quod me moretur.

(13) Iam cinis, adhuc tamen rarus. Respicio: densa caligo tergis imminebat, quae nos torrentis modo infusa terrae sequebatur. 'Deflectamus' inquam 'dum videmus, ne in via strati comitantium turba in tenebris obteramur.' (14) Vix consideramus, et nox non qualis illunis aut nebula, sed qualis in locis clausis lumine extincto. Audires ululatus feminarum, infantum quiritatus, clamores virorum; alii parentes alii liberos alii coniuges vocibus requirebant, vocibus noscitabant; hi suum casum, illi suorum miserabantur; erant qui metu mortis mortem precarentur; (15) multi ad deos manus tollere, plures nusquam iam deos ullos aeternamque illam et novissimam noctem mundo interpretabantur. Nec defuerunt qui fictis mentitisque terroribus vera pericula augerent. Aderant qui Miseni illud ruisse illud ardere falso sed credentibus nuntiabant. (16) Paulum reluxit, quod non dies nobis, sed adventantis ignis indicium videbatur. Et ignis quidem longius substitit; tenebrae rursus cinis rursus, multus et gravis. Hunc identidem adsurgentes excutiebamus; operati alioqui atque etiam oblisi pondere essemus. (17) Possem gloriari non gemitum mihi, non vocem parum

fortem in tantis periculis excidisse, nisi me cum omnibus, omnia mecum perire misero, magno tamen mortalitatis solacio credidissem.

(18) Tandem illa caligo tenuata quasi in fumum nebulamve discessit; mox dies verus; sol etiam effulsit, luridus tamen qualis esse cum deficit solet. Occursabant trepidantibus adhuc oculis muta-  
ta omnia altoque cinere tamquam nive obducta. (19) Regressi Misenum curatis utcumque corpori-  
bus suspensam dubiamque noctem spe ac metu exegimus. Metus praevalebat; nam et tremor ter-  
rae perseverabat, et plerique lymphati terrificis vaticinationibus et sua et aliena mala ludificaban-  
tur. (20) Nobis tamen ne tunc quidem, quamquam et expertis periculum et exspectantibus, abeun-  
di consilium, donec de avunculo nuntius.

Haec nequaquam historia digna non scripturus leges et tibi scilicet qui requisisti imputabis, si di-  
gna ne epistula quidem videbuntur. Vale.

**Text 3:** Tac. *dial.* 34-35 (ed. Koestermann, 1957 (BT))

[34] Ergo apud maiores nostros iuvenis ille, qui foro et eloquentiae parabatur imbutus iam domes-  
tica disciplina, refertus honestis studiis deducebatur a patre vel a propinquis ad eum oratorem, qui  
principem in civitate locum obtinebat. Hunc sectari, hunc prosequi, huius omnibus dictionibus  
interesse sive in iudiciis sive in contionibus adsuescebat, ita ut altercationes quoque exciperet et  
iurgiis interesset utque sic dixerim, pugnare in proelio disceret. Magnus ex hoc usus, multum  
constantiae, plurimum iudicii iuvenibus statim contingebat, in media luce studentibus atque inter  
ipsa discrimina, ubi nemo impune stulte aliquid aut contrarie dicit, quo minus et iudex respuat et  
adversarius exprobret, ipsi denique advocati aspernentur. Igitur vera statim et incorrupta eloquen-  
tia imbuebantur; et quamquam unum sequerentur, tamen omnis eiusdem aetatis patronos in plu-  
rimis et causis et iudiciis cognoscebant; habebantque ipsius populi diversissimarum aurium co-  
piam, ex qua facile deprehenderent, quid in quoque vel probaretur vel displiceret. Ita nec prae-  
ceptor deerat, optimus quidem et electissimus, qui faciem eloquentiae, non imaginem praestaret,  
nec adversarii et aemuli ferro, non rudibus dimicantes, nec auditorium semper plenum, semper  
novum, ex invidis et faventibus, ut nec bene <nec male> dicta dissimularentur. Scitis enim ma-  
gnam illam et duraturam eloquentiae famam non minus in diversis subselliis parari quam suis;  
inde quin immo constantius surgere, ibi fidelius corroborari. Atque hercule sub eius modi prae-  
ceptoribus iuvenis ille, de quo loquimur, oratorum discipulus, fori auditor, sectator iudiciorum,  
eruditus et assuefactus alienis experimentis, cui cotidie audienti notae leges, non novi iudicum  
vultus, frequens in oculis consuetudo contionum, saepe cognitae populi aures, sive accusationem  
susceperat sive defensionem, solus statim et unus cuicumque causae par erat. Nono decimo aetatis  
anno L. Crassus C. Carbonem, uno et vicesimo Caesar Dolabellam, altero et vicesimo Asinius Pol-  
lio C. Catonem, non multum aetate antecedens Calvus Vatinius iis orationibus insecuri sunt, quas  
hodieque cum admiratione legimus.

[35] At nunc adolescentuli nostri deducuntur in scholas istorum, qui rhetores vocantur, quos paulo  
ante Ciceronis tempora extitisse nec placuisse maioribus nostris ex eo manifestum est, quod a  
Crasso et Domitio censoribus claudere, ut ait Cicero, "ludum impudentiae" iussi sunt. Sed ut dicere  
institueram, deducuntur in scholas, quibus non facile dixerim utrumne locus ipse an condiscipuli

an genus studiorum plus mali ingeniis adferant. Nam in loco nihil reverentiae est, in quem nemo nisi aequae imperitus intrat; in condiscipulis nihil profectus, cum pueri inter pueros et adolescentuli inter adolescentulos pari securitate et dicant et audiantur; ipsae vero exercitationes magna ex parte contrariae. Nempe enim duo genera materiarum apud rhetoras tractantur, suasoriae et controversiae. Ex his suasoriae quidem etsi tamquam plane leviores et minus prudentiae exigentes pueris delegantur, controversiae robustioribus adsignantur, quales, per fidem, et quam incredibiliter compositae! sequitur autem, ut materiae abhorrenti a veritate declamatio quoque adhibeatur. Sic fit ut tyrannidarum praemia aut vitiatarum electiones aut pestilentiae remedia aut incesta matrum aut quidquid in schola cotidie agitur, in foro vel raro vel numquam, ingentibus verbis persequantur: cum ad veros iudices ventum \* \* \*

**Prof. Dr. Ulrich Eigler**  
**Vorlesung HS 13**  
**Die lateinische Literatur des 1. Jh.s n. Chr.**  
**9. Kollegstunde (14. November 2013)**  
**Seneca und das Paradoxe**

**Texte:** 1. Sen. *Thyest.* 1035-1068  
 2. Sen. *Ag.* 978-1012

**Text 1:** Sen. *Thyest.* 1035-1068 (ed. Zwierlein, 1986 (OCT))

<b>THYESTES:</b> Hoc est deos quod puduit, hoc egit diem auersum in ortus. Quas miser uoces dabo questusque quos? quae uerba sufficient mihi? abscisa cerno capita et auulsas manus et rupta fractis cruribus uestigia – hoc est quod auidus capere non potuit pater.	1035     1040
uoluuntur intus uiscera et clusum nefas sine exitu luctatur et quaerit fugam: da, frater, ense (sanguinis multum mei habet ille): ferro liberis detur uia. negatur ensis? pectora inliso sonent contusa planctu – sustine, infelix, manum, parcamus umbris. Tale quis uidit nefas? quis inhospitalis Caucasi rupem asperam Heniochus habitans quisue Cecropiis metus terris Procrustes? genitor enatos premo premorque natis – sceleris est aliquis modus.	1045     1050
<b>ATREVS:</b> Sceleri modus debetur ubi facias scelus, non ubi reponas. Hoc quoque exiguum est mihi: ex uulnere ipso sanguinem calidum in tua defundere ora debui, ut uiuentium biberes cruorem – uerba sunt irae data dum propero. Ferro uulnera impresso dedi, cecidi ad aras, caede uotiuia focos placauit, et artus, corpora exanima amputans, in parua carpsi frustra et haec feruentibus demersi aenis; illa lentis ignibus stillare iussi; membra neruosque abscidi uiuentibus, gracilique traiectas ueru mugire fibras uidi et aggressi manu mea ipse flammis – omnia haec melius pater fecisse potuit, cecidit in cassum dolor: scidit ore natos impio, sed nesciens, sed nescientes.	1055     1060    1065

**Text 2:** Sen. *Ag.* 978-1012 (ed. Zwierlein, 1986 (OCT))

- [Cl.] Consors pericli pariter ac regni mei,  
Aegisthe, gradere. gnata genetricem impie  
probris lacessit, occulit fratrem abditum. 980
- [Aegisthvs] Furibunda uirgo, uocis infandae sonum  
et aure uerba indigna materna opprime.
- [El.] Etiam monebit sceleris infandi artifex,  
per scelera natus, nomen ambiguum suis,  
idem sororis gnatus et patris nepos? 985
- [Cl.] Aegisthe, cessas impium ferro caput  
demetere? fratrem reddat aut animam statim.
- [Ae.] Abstrusa caeco carcere et saxo exigat  
aeuum; per omnes torta poenarum modos  
referre quem nunc occulit fors an uolet. 990
- inops egens inclusa, paedore obruta,  
uidua ante thalamos, exul, inuisa omnibus  
aethere negato sero subcumbet malis.
- [El.] Concede mortem. [Ae.] Si recusares, darem:  
rudis est tyrannus morte qui poenam exigit. 995
- [El.] Mortem aliquid ultra est? [Ae.] Vita, si cupias mori. –  
Abripite, famuli, monstrum et auectam procul  
ultra Mycenae ultimo in regni angulo  
uincite saeptam nocte tenebrosi specus,  
ut inquietam uirginem carcer domet. 1000
- [Cl.] At ista poenas capite persoluet suo  
captiua coniunx, regii paelex tori.  
trahite, ut sequatur coniugem ereptum mihi.
- [Ca.] Ne trahite, uestros ipsa praecedam gradus.  
perferre prima nuntium Phrygiis meis 1005  
propero: repletum ratibus euersis mare,  
captas Mycenae, mille ductorem ducum,  
ut paria fata Troicis lueret malis,  
perisse dono, feminae stupro, dolo.
- nihil moramur, rapite, quin grates ago: 1010  
iam, iam iuuat uixisse post Troiam, iuuat.
- [Cl.] Furiosa, morere. [Ca.] Veniet et uobis furor.

**Prof. Dr. Ulrich Eigler**  
**Vorlesung HS 13**  
**Die lateinische Literatur des 1. Jh.s n. Chr.**  
**10. Kollegstunde (21. November 2013)**  
**Statius' Thebais und die Ästhetik des Grausigen**

**Texte:** 1. Stat. *Theb.* 8, 716-766  
 2. Stat. *Theb.* 12, 810-819

**Text 1:** Stat. *Theb.* 8, 716-766 (ed. Klotz – Klinnert, 1973 (BT))

ecce secat Zephyros ingentem fraxinus iram  
 fortunamque ferens, teli non eminent auctor:  
 Astacides Melanippus erat, nec prodidit ipse,  
 et uellet latuisse manum, sed gaudia turmae  
 monstrabant trepidum; nam flexus in ilia Tydeus 720  
 submissum latus et clipei laxauerat orbem.  
 clamorem Aonii miscent gemitumque Pelasgi,  
 obiectantque manus indignantemque tuentur.  
 ille per oppositos longe rimatus amarum  
 Astaciden, totis animae se cogit in ictum 725  
 reliquiis telumque iacit quod proximus Hopleus  
 praebuerat: perit expressus conamine sanguis.  
 tunc tristes socii cupidum bellare (quis ardor!)  
 et poscentem hastas mediaque in morte negantem  
 expirare trahunt, summique in margine campi 730  
 effultum gemina latera inclinantia parma  
 ponunt, ac saeui rediturum ad proelia Martis  
 promittunt flentes. sed et ipse recedere caelum  
 ingentesque animos extremo frigore labi  
 sensit, et innixus terrae 'miserescite' clamat, 735  
 'Inachidae: non ossa precor referantur ut Argos  
 Aetolumue larem; nec enim mihi cura supremi  
 funeris: odi artus fragilemque hunc corporis usum,  
 desertorem animi. caput, o caput, o mihi si quis  
 apportet, Melanippe, tuum! nam uolueris aruis, 740  
 fido equidem, nec me uirtus suprema fefellit.  
 i, precor, Atrei si quid tibi sanguinis umquam,  
 Hippomedon, uade, o primis puer inclyte bellis  
 Arcas, et Argolicae Capaneu iam maxime turmae.'  
 moti omnes, sed primus abit primusque repertum 745  
 Astaciden medio Capaneus e puluere tollit

spirantem laeuaque super ceruice reportat,  
 terga cruentantem concussi uulneris unda:  
 qualis ab Arcadio rediit Tirynthius antro  
 captiuomque suem clamantibus intulit Argis. 750

erigitur Tydeus uoltuque occurrit et amens  
 laetitiaque iraque, ut singultantia uidit  
 ora trahique oculos seseque agnouit in illo,  
 imperat abscisum porgi, laeuaque receptum  
 spectat atrox hostile caput, gliscitque tepentis 755  
 lumina torua uidens et adhuc dubitantia figi.

infelix contentus erat: plus exigit ultrix  
 Tisiphone; iamque inflexo Tritonia patre  
 uenerat et misero decus inmortale ferebat,  
 atque illum effracti perfusum tabe cerebri 760  
 aspicit et uiuo scelerantem sanguine fauces

(nec comites auferre ualent): stetit aspera Gorgon  
 crinibus emissis rectique ante ora cerastae  
 uelauere deam; fugit auersata iacentem,  
 nec prius astra subit quam mystica lampas et insons 765  
 Elisos multa purgauit lumina lympa.

**Text 2:** Stat. *Theb.* 12, 810-819 (ed. Klotz – Klinnert, 1973 (BT))

durabisne procul dominoque legere superstes, 810  
 o mihi bisenos multum uigilata per annos  
 Thebai? iam certe praesens tibi Fama benignum  
 strauit iter coepitque nouam monstrare futuris.  
 iam te magnanimus dignatur noscere Caesar,  
 Itala iam studio discit memoratque iuuentus. 815  
 uiue, precor; nec tu diuinam Aeneida tempta,  
 sed longe sequere et uestigia semper adora.  
 mox, tibi si quis adhuc praetendit nubila liuor,  
 occidet, et meriti post me referentur honores.



**Prof. Dr. Ulrich Eigler**  
**Vorlesung HS 13**  
**Die lateinische Literatur des 1. Jh.s n. Chr.**  
**11. Kollegstunde (28. November 2013)**  
**Freud' und Leid des Epigonen: Silius Italicus und Valerius Flaccus**

- Texte:** 1. Sil. 2, 391-456  
 2. Val. Flacc. 5, 415-454  
 3. Verg. *Aen.* 1, 441-493  
 4. Verg. *Aen.* 8, 626-731  
 5. Plin. *epist.* 3, 7  
 6. Mart. 7, 63

**Text 1:** Sil. 2, 391-456 (ed. Delz, 1987 (BT))

Atque ea dum profugae regnis agitantur Elissae,  
 accisis uelox populis, quis aegra lababat  
 ambiguo sub Marte fides, praedaque grauatus  
 ad muros Poenus reuocauerat arma Sagunti.  
 ecce autem clipeum saeuo fulgore micantem 395  
 Oceani gentes ductori dona ferebant,  
 Callaicae telluris opus, galeamque coruscis  
 subnixam cristis, uibrant cui uertice coni  
 albentis niueae tremulo nutamine pennae,  
 ensem, unam ac multis fatalem milibus hastam. 400  
 praeterea textam nodis auroque trilicem  
 lorica et nulli tegimen penetrabile telo.  
 haec aere et duri chalybis perfecta metallo  
 atque opibus perfusa Tagi per singula laetis  
 lustrat ouans oculis gaudetque origine regni : 405  
 Condebat primae Dido Carthaginis arces,  
 instabatque operi subducta classe iuuentus.  
 molibus hi claudunt portus, his tecta domosque  
 partiris, iustae Bitia uenerande senectae.  
 ostentant caput effossa tellure repertum 410  
 bellatoris equi atque omen clamore salutant.  
 has inter species orbatum classe suisque  
 Aenean pulsum pelago dextraque precantem  
 cernere erat. fronte hunc auide regina serena  
 infelix ac iam uultu spectabat amico. 415  
 hinc et speluncam furtiuaque foedera amantum  
 Callaicae fecere manus; it clamor ad auras  
 latratusque canum, subitoque exterrita nimbo

occultant alae uenantum corpora siluis.  
 nec procul Aeneadum uacuo iam litore classis 420  
 aequora nequiquam reuocante operibat Elissa.  
 ipsa pyram super ingentem stans saucia Dido  
 mandabat Tyriis ultricia bella futuris,  
 ardentemque rogum media spectabat ab unda  
 Dardanus et magnis pandebat carbasa fatis. 425  
 parte alia supplex infernis Hannibal aris  
 arcanum Stygia libat cum uate cruorem  
 et primo bella Aeneadum iurabat ab aeuo.  
 at senior Siculis exultat Hamilcar in aruis;  
 spirantem credas certamina anhela mouere; 430  
 ardor inest oculis, toruumque minatur imago.  
 Necnon et laeuum clipei latus aspera signis  
 implebat Spartana cohors; hanc ducit ouantem  
 Ledaeis ueniens uictor Xanthippus Amyclis.  
 iuxta, triste decus, pendet sub imagine poenae 435  
 Regulus et fidei dat magna exempla Sagunto.  
 laetior at circa facies, agitata ferarum  
 agmina uenatu et caelata mapalia fulgent.  
 nec procul usta cutem nigri soror horrida Mauri  
 adsuetas mulcet patrio sermone leaenas. 440  
 it liber campi pastor, cui fine sine ullo  
 inuetitum saltus penetrat pecus; omnia Poenum  
 armenti uigilem patrio de more sequuntur:  
 gaesaque latratorque Cydon tectumque focique  
 in silicis uenis et fistula nota iuuencis. 445  
 eminent excelso consurgens colle Saguntos,  
 quam circa immensi populi condensaque cingunt  
 agmina certantum pulsantque trementibus hastis.  
 extrema clipei stagnabat Hiberus in ora,  
 curuatis claudens ingentem flexibus orbem. 450  
 Hannibal abrupto transgressus foedere ripas  
 Poenorum populos Romana in bella uocabat.  
 tali sublimis dono noua tegmina latis  
 aptat concutiens umeris celsusque profatur:  
 'Heu quantum Ausonio sudabitis, arma, cruore! 455  
 quas, belli uidex, poenas mihi, Curia, pendes!'

**Text 2:** Val. Flacc. 5, 415-454 (ed. Ehlers, 1980 (BT))

nec minus hinc varia dux laetus imagine templi 415  
 ad geminas fert ora fores cunabula gentis  
 Colchidos hic ortusque tuens, ut prima Sesostris  
 intulerit rex bella Getis, ut clade suorum  
 territus hos Thebas patriumque reducat ad amnem,  
 Phasidis hos imponat agris Colchosque vocari 420  
 imperet. Arsinoen illi tepidaeque requirunt  
 otia laeta Phari pinguemque sine imbribus annum  
 et iam Sarmaticis permutant carbasa bracis.  
 barbarus in patriis sectatur montibus Aean  
 Phasis amore furens. pavidas iacit illa pharetras 425  
 virgineo turbata metu, discursibus et iam 427  
 deficit ac volucris victam deus alligat unda.  
 flebant populeae iuvenem Phaethonta sorores  
 ater et Eridani trepidum globus ibat in amnem. 430  
 at iuga vix Tethys sparsumque recolligit axem  
 et formidantem patrios Pyroenta dolores.  
 aurea quin etiam praesaga Mulciber arte  
 vellera venturosque olim caelarat Achivos.  
 textitur Argea pinus Pagasaea securi 435  
 iamque eadem remos, eadem dea flectit habenas,  
 ipsa subit nudaque vocat dux agmina dextra.  
 exoritur Notus et toto ratis una profundo  
 cernitur, Odrysio gaudebant carmine phocae.  
 apparent trepidi <per> Phasidis ostia Colchi 440  
 clamantemque procul linquens regina parentem.  
 urbs erat hinc contra gemino circumflua ponto,  
 ludus ubi et cantus taedaeque in nocte iugales  
 regalique toro laetus gener; ille priorem  
 deserit: ultrices spectant a culmine Dirae. 445  
 deficit in thalamis turbataque paelice coniunx  
 pallam et gemmiferae donum exitiale coronae  
 apparat ante omnes secum dequesta labores.  
 munere quo patrias paelex ornatur ad aras  
 infelix et iam rutilus correpta venenis 450  
 implicat igne domos. haec tum miracula Colchis  
 struxerat Ignipotens nondum noscentibus, ille  
 quis labor, aligeris aut quae secet anguibus auras  
 caede madens. odere tamen visusque reflectunt.

**Text 3:** Verg. *Aen.* 1, 441-493 (ed. Mynors, 1969 (OCT))

Lucus in urbe fuit media, laetissimus umbra,  
 quo primum iactati undis et turbine Poeni  
 effodere loco signum, quod regia Iuno  
 monstrarat, caput acris equi; sic nam fore bello  
 egregiam et facilem victu per saecula gentem. 445  
 Hic templum Iunoni ingens Sidonia Dido  
 condebat, donis opulentum et numine divae,  
 aerea cui gradibus surgebant limina, nexaeque  
 aere trabes, foribus cardo stridebat aënis.  
 Hoc primum in luco nova res oblata timorem 450  
 leniit, hic primum Aeneas sperare salutem  
 ausus et adflictis melius confidere rebus.  
 Namque sub ingenti lustrat dum singula templo  
 reginam opperiens, dum quae fortuna sit urbi  
 artificumque manus inter se operumque laborem 455  
 miratur, videt Iliacas ex ordine pugnas,  
 bellaque iam fama totum vulgata per orbem,  
 Atridas Priamumque et saevum ambobus Achillem.  
 Constitit et lacrimans 'Quis iam locus' inquit 'Achate,  
 quae regio in terris nostri non plena laboris? 460  
 En Priamus. Sunt hic etiam sua praemia laudi,  
 sunt lacrimae rerum et mentem mortalia tangunt.  
 Solve metus; feret haec aliquam tibi fama salutem.'  
 Sic ait atque animum pictura pascit inani  
 multa gemens, largoque umectat flumine vultum. 465  
 Namque videbat uti bellantes Pergama circum  
 hac fugerent Grai, premeret Troiana iuventus;  
 hac Phryges, instaret curru cristatus Achilles.  
 Nec procul hinc Rhesi niveis tentoria velis  
 agnoscit lacrimans, primo quae prodita somno 470  
 Tydides multa vastabat caede cruentus,  
 ardentisque avertit equos in castra prius quam  
 pabula gustassent Troiae Xanthumque bibissent.  
 Parte alia fugiens amissis Troilus armis,  
 infelix puer atque impar congressus Achilli, 475  
 fertur equis curruque haeret resupinus inani,  
 lora tenens tamen; huic cervixque comaeque trahuntur  
 per terram, et versa pulvis inscribitur hasta.  
 Interea ad templum non aequae Palladis ibant  
 crinibus Iliades passis peplumque ferebant 480

suppliciter tristes et tunsae pectora palmis;  
 diva solo fixos oculos avera tenebat.  
 Ter circum Iliacos raptaverat Hectora muros,  
 exanimumque auro corpus vendebat Achilles.  
 Tum vero ingentem gemitum dat pectore ab imo, 485  
 ut spolia, ut currus, utque ipsum corpus amici  
 tendentemque manus Priamum conspexit inermis.  
 Se quoque principibus permixtum adgnovit Achivis,  
 Eoasque acies et nigri Memnonis arma.  
 Ducit Amazonidum lunatis agmina peltis 490  
 Penthesilea furens mediisque in milibus ardet,  
 aurea subnectens exsertae cingula mammae  
 bellatrix, audetque viris concurrere virgo.

**Text 4:** Verg. *Aen.* 8, 626-731 (ed. Mynors, 1969 (OCT))

illic res Italas Romanorumque triumphos  
 haud uatum ignarus uenturique inscius aeui  
 fecerat ignipotens, illic genus omne futurae  
 stirpis ab Ascanio pugnataque in ordine bella.  
 fecerat et uiridi fetam Mauortis in antro 630  
 procubuisse lupam, geminos huic ubera circum  
 ludere pendentis pueros et lambere matrem  
 impavidos, illam tereti ceruice reflexa  
 mulcere alternos et corpora fingere lingua.  
 nec procul hinc Romam et raptas sine more Sabinas 635  
 consessu caeuae, magnis Circensibus actis,  
 addiderat, subitoque nouum consurgere bellum  
 Romulidis Tatioque seni Curibusque seueris.  
 post idem inter se posito certamine reges  
 armati Iouis ante aram paterasque tenentes 640  
 stabant et caesa iungebant foedera porca.  
 haud procul inde citae Mettum in diuersa quadrigae  
 distulerant (at tu dictis, Albane, maneres!),  
 raptabatque uiri mendacis uiscera Tullus  
 per siluam, et sparsi rorabant sanguine uepres. 645  
 nec non Tarquinius eiectum Porsenna iubebat  
 accipere ingentique urbem obsidione premebat;  
 Aeneadae in ferrum pro libertate ruebant.  
 illum indignanti similem similemque minanti  
 aspiceres, pontem auderet quia uellere Cocles 650

et fluuium uinclis innaret Cloelia ruptis.  
 in summo custos Tarpeiae Manlius arcis  
 stabat pro templo et Capitolia celsa tenebat,  
 Romuleoque recens horrebat regia culmo.  
 atque hic auratis uolitans argenteus anser 655  
 porticibus Gallos in limine adesse canebat;  
 Galli per dumos aderant arcemque tenebant  
 defensi tenebris et dono noctis opacae.  
 aurea caesaries ollis atque aurea uestis,  
 uirgatis lucent sagulis, tum lactea colla 660  
 auro innectuntur, duo quisque Alpina coruscant  
 gaesa manu, scutis protecti corpora longis.  
 hic exsultantis Salios nudosque Lupercos  
 lanigerosque apices et lapsa ancilia caelo  
 extuderat, castae ducebant sacra per urbem 665  
 pilentis matres in mollibus. hinc procul addit  
 Tartareas etiam sedes, alta ostia Ditis,  
 et scelerum poenas, et te, Catilina, minaci  
 pendentem scopulo Furiarumque ora trementem,  
 secretosque pios, his dantem iura Catonem. 670  
 haec inter tumidi late maris ibat imago  
 aurea, sed fluctu spumabant caerulea cano,  
 et circum argento clari delphines in orbem  
 aequora uerrebant caudis aestumque secabant.  
 in medio classis aeratas, Actia bella, 675  
 cernere erat, totumque instructo Marte uideres  
 feruere Leucaten auroque effulgere fluctus.  
 hinc Augustus agens Italos in proelia Caesar  
 cum patribus populoque, penatibus et magnis dis,  
 stans celsa in puppi, geminas cui tempora flammis 680  
 laeta uomunt patriumque aperitur uertice sidus.  
 parte alia uentis et dis Agrippa secundis  
 arduus agmen agens, cui, belli insigne superbum,  
 tempora nauali fulgent rostrata corona.  
 hinc ope barbarica uariisque Antonius armis, 685  
 uictor ab Aurorae populis et litore rubro,  
 Aegyptum uirisque Orientis et ultima secum  
 Bactra uehit, sequiturque (nefas) Aegyptia coniunx.  
 una omnes ruere ac totum spumare reductis  
 conuulsum remis rostrisque tridentibus aequor. 690  
 alta petunt; pelago credas innare reuulsas

Cycladas aut montis concurrere montibus altos,  
 tanta mole uiri turrilis puppibus instant.  
 stuppea flamma manu telisque uolatile ferrum  
 spargitur, arua noua Neptunia caede rubescunt. 695  
 regina in mediis patrio uocat agmina sistro,  
 necdum etiam geminos a tergo respicit anguis.  
 omnigenumque deum monstra et latrator Anubis  
 contra Neptunum et Venerem contraque Mineruam  
 tela tenent. saeuit medio in certamine Mauors 700  
 caelatus ferro, tristesque ex aethere Dirae,  
 et scissa gaudens uadit Discordia palla,  
 quam cum sanguineo sequitur Bellona flagello.  
 Actius haec cernens arcum intendebat Apollo  
 desuper; omnis eo terrore Aegyptus et Indi, 705  
 omnis Arabs, omnes uertebant terga Sabaei.  
 ipsa uidebatur uentis regina uocatis  
 uela dare et laxos iam iamque immittere funis.  
 illam inter caedes pallentem morte futura  
 fecerat ignipotens undis et Iapyge ferri, 710  
 contra autem magno maerentem corpore Nilum  
 pandentemque sinus et tota ueste uocantem  
 caeruleum in gremium latebrosaque flumina uictos.  
 at Caesar, triplici inuectus Romana triumpho  
 moenia, dis Italis uotum immortale sacrabat, 715  
 maxima ter centum totam delubra per urbem.  
 laetitia ludisque uiae plausuque fremebant;  
 omnibus in templis matrum chorus, omnibus arae;  
 ante aras terram caesi strauere iuuenci.  
 ipse sedens niueo candentis limine Phoebi 720  
 dona recognoscit populorum aptatque superbis  
 postibus; incedunt uictae longo ordine gentes,  
 quam uariae linguis, habitu tam uestis et armis.  
 hic Nomadum genus et discinctos Mulciber Afros,  
 hic Lelegas Carasque sagittiferosque Gelonos 725  
 finxerat; Euphrates ibat iam mollior undis,  
 extremique hominum Morini, Rhenusque bicornis,  
 indomitique Dahae, et pontem indignatus Araxes.  
 Talia per clipeum Volcani, dona parentis,  
 miratur rerumque ignarus imagine gaudet 730  
 attollens umero famamque et fata nepotum.

**Text 5:** Plin. *epist.* 3, 7 (ed. Mynors, 1963 (OCT))

C. PLINIUS CANINIO RUFO SUO S.

(1) Modo nuntiatum est Silius Italicus in Neapolitano suo inedia finisse vitam. (2) Causa mortis valetudo. Erat illi natus insanabilis clavus, cuius taedio ad mortem irrevocabili constantia decucurrit usque ad supremum diem beatus et felix, nisi quod minorem ex liberis duobus amisit, sed maiorem melioremque florentem atque etiam consularem reliquit. (3) Laeserat famam suam sub Nerone (credebatur sponte accusasse), sed in Vitelli amicitia sapienter se et comiter gesserat, ex proconsulatu Asiae gloriam reportaverat, maculam veteris industriae laudabili otio abluerat. (4) Fuit inter principes civitatis sine potentia, sine invidia: salutabatur colebatur, multumque in lectulo iacens cubiculo semper, non ex fortuna frequenti, doctissimis sermonibus dies transigebat, cum a scribendo vacaret. (5) Scribebat carmina maiore cura quam ingenio, non numquam iudicia hominum recitationibus experiebatur. (6) Novissime ita suadentibus annis ab urbe secessit, seque in Campania tenuit, ac ne adventu quidem novi principis inde commotus est: (7) magna Caesaris laus sub quo hoc liberum fuit, magna illius qui hac libertate ausus est uti. (8) Erat φιλόκαλος usque ad emacitatis reprehensionem. Plures isdem in locis villas possidebat, adamatisque novis priores neglegebat. Multum ubique librorum, multum statuarum, multum imaginum, quas non habebat modo, verum etiam venerabatur, Vergili ante omnes, cuius natalem religiosius quam suum celebrabat, Neapoli maxime, ubi monumentum eius adire ut templum solebat. (9) In hac tranquillitate annum quintum et septuagensimum excessit, delicato magis corpore quam infirmo; utque novissimus a Nerone factus est consul, ita postremus ex omnibus, quos Nero consules fecerat, decessit. (10) Illud etiam notabile: ultimus ex Neronianis consularibus obiit, quo consule Nero periit. Quod me recordantem fragilitatis humanae miseratio subit. (11) Quid enim tam circumcisum tam breve quam hominis vita longissima? An non videtur tibi Nero modo modo fuisse? cum interim ex iis, qui sub illo gesserant consulatum, nemo iam superest. (12) Quamquam quid hoc miror? Nuper L. Piso, pater Pisonis illius, qui Valerio Festo per summum facinus in Africa occisus est, dicere solebat neminem se videre in senatu, quem consul ipse sententiam rogavisset. (13) Tam angustis terminis tantae multitudinis vivacitas ipsa concluditur, ut mihi non venia solum dignae, verum etiam laude videantur illae regiae lacrimae; nam ferunt Xersen, cum immensum exercitum oculis obisset, illacrimasse, quod tot milibus tam brevis immineret occasus. (14) Sed tanto magis hoc, quidquid est temporis futile et caduci, si non datur factis (nam horum materia in aliena manu), certe studiis proferamus, et quatenus nobis denegatur diu vivere, relinquamus aliquid, quo nos vixisse testemur. (15) Scio te stimulis non egere: me tamen tui caritas evocat, ut currentem quoque instigem, sicut tu soles me. Ἀγαθὴ δ' ἔστις cum invicem se mutuis exhortationibus amici ad amorem immortalitatis exacuunt. Vale.

**Text 6:** Mart. 7, 63 (ed. Lindsay, 1902 (OCT))

Perpetui numquam moritura uolumina Sili  
 qui legis et Latia carmina digna toga,  
 Pierios tantum uati placuisse recessus



credis et Aoniae Bacchica sertae comae?  
Sacra cothurnati non attigit ante Maronis 5  
impleuit magni quam Ciceronis opus:  
hunc miratur adhuc centum grauis hasta uirorum,  
hunc loquitur grato plurimus ore cliens.  
Postquam bis senis ingentem fascibus annum  
rexerat adserto qui sacer orbe fuit, 10  
emeritos Musis et Phoebos tradidit annos  
proque suo celebrat nunc Heliconae foro.

**Prof. Dr. Ulrich Eigler**  
**Vorlesung HS 13**  
**Die lateinische Literatur des 1. Jh.s n. Chr.**  
**12. Kollegstunde (05. Dezember 2013)**  
**Gute Miene zum bösen Spiel: Statius und Martial**

- Texte:** 1. Stat. *silv.* 1, 1  
 2. Mart. *epigr.* 1, 10  
 3. Mart. 10, 2  
 4. Mart. 10, 4

**Text 1:** Stat. *silv.* 1, 1 (ed. Courtney, 1990 (OCT))

ECVS MAXIMVS DOMITIANI IMP.

Quae superinposito moles geminata colosso  
 stat Latium complexa forum? caelone peractum  
 fluxit opus? Siculis an conformata caminis  
 effigies lassum Steropen Brontenque reliquit?  
 an te Palladiae talem, Germanice, nobis 5  
 effinxere manus, qualem modo frena tenentem  
 Rhenus et attoniti vidit domus ardua Daci?  
 nunc age Fama prior notum per saecula nomen  
 Dardanii miretur equi cui vertice sacro  
 Dindymon et caesis decrevit frondibus Ide: 10  
 hunc neque discissis cepissent Pergama muris,  
 nec grege permixto pueri innuptaeque puellae  
 ipse nec Aeneas nec magnus duceret Hector.  
 adde quod ille nocens saevosque amplexus Achivos,  
 hunc mitis commendat eques: iuvat ora tueri 15  
 mixta notis, bellum placidamque gerentia pacem.  
 nec veris maiora putes: par forma decorque,  
 par honor. exhaustis Martem non altius armis  
 Bistonius portat sonipes magnoque superbit  
 pondere nec tardo raptus prope flumina cursu 20  
 fumat et ingenti propellit Strymona flatu.  
 par operi sedes. huic obvia limina pandit  
 qui fessus bellis adscitae munere prolis  
 primus iter nostris ostendit in aethera divis,  
 discit et e vultu quantum tu mitior armis, 25  
 qui nec in externos facilis saevire furores  
 das Cattis Dacisque fidem: te signa ferente  
 et minor in leges gener et Cato Caesaris irent.

at laterum passus hinc Iulia tecta tuentur,  
 illinc belligeri sublimis regia Pauli; 30  
 terga pater blandoque videt Concordia vultu.  
 ipse autem puro celsum caput aere saeptus  
 templa superfulges et prospectare videris  
 an nova contemptis surgant Palatia flammis  
 pulchrius, an tacita vigilet face Troicus ignis 35  
 atque exploratas iam laudet Vesta ministras.  
 dextra vetat pugnans, laevam Tritonia virgo  
 non gravat et sectae praetendit colla Medusae;  
 ceu stimulis accendit equum, nec dulcior usquam  
 lecta deae sedes, nec si, pater, ipse teneres. 40  
 pectora quae mundi valeant evolvere curas  
 et quis se totis Temese dedit hausta metallis.  
 it tergo demissa chlamys, latus ense quieto  
 securum, magnus quanto mucrone minatur  
 noctibus hibernis et sidera terret Orion. 45

At sonipes habitus animosque imitatus equestres  
 acrius attollit vultus cursumque minatur;  
 cui rigidis stant colla iubis vivusque per armos  
 impetus, et tantis calcaribus ilia late  
 suffectura patent. vacuae pro caespite terrae 50  
 aerea captivi crinem terit ungula Rheni.  
 hunc etAdrasteus visum extimuisset Arion  
 et pavet aspiciens Ledaeus ab aede propinqua  
 Cyllarus; hic domini numquam mutabit habenas:  
 perpetuus frenis atque uni serviet astro. 55

Vix sola sufficiunt insessaque pondere toto  
 subter anhelat humus; nec ferro aut aere, laborat  
 sub genio, teneat quamvis aeterna crepido  
 quae superingesti portaret culmina montis  
 caeliferique attrita genu durasset Atlantis. 60

Nec longae traxere morae. iuvat ipsa labores  
 forma dei praesens, operique intenta iuventus  
 miratur plus posse manus. strepit ardua pulsu  
 machina; continuus septem per culmina t̄montist̄  
 it fragor et magnae vincit vaga murmura Romae. 65

Ipse loci custos, cuius sacrata vorago  
 famosique lacus nomen memorabile servant,  
 innumeros aeris sonitus et verbere crudo  
 ut sensit mugire forum, movet horrida sancto

ora situ meritaque caput venerabile quercu, 70  
 ac primum ingentes habitus lucemque coruscam  
 expavit maioris equi terque ardua mersit  
 colla lacu trepidans, laetus mox praeside viso:  
 'salve, magnorum proles genitorque deorum,  
 auditum longe numen mihi. nunc mea felix, 75  
 nunc veneranda palus, cum te prope nosse tuumque  
 immortale iubar vicina sede tueri  
 concessum. semel auctor ego inventorque salutis  
 Romuleae: tu bella Iovis, tu proelia Rheni,  
 tu civile nefas, tu tardum in foedera montem 80  
 longo Marte domas. quods<i te> nostra tulissent  
 saecula, temptasses me non audente profundo  
 ire lacu, set Roma tuas tenuisset habenas.'  
 Cedat equus Latiae qui contra templa Diones  
 Caesarei stat sede fori quem traderis ausus 85  
 Pellaeo, Lysippe, duci (mox Caesaris ora  
 mirata cervice tulit); vix lumine fesso  
 explores quam longus in hunc despectus ab illo.  
 quis rudis usque adeo qui non, ut viderit ambos,  
 tantum dicat equos quantum distare regentes? 90  
 Non hoc imbriferas hiemes opus aut Iovis ignem  
 tergeminum, Aeolii non agmina carceris horret  
 annorumve moras; stabit, dum terra polusque,  
 dum Romana dies. hoc et sub nocte silenti,  
 cum superis terrena placent, tua turba relicto 95  
 labetur caelo miscebitque oscula iuxta.  
 ibit in amplexus natus fraterque paterque  
 et soror; una locum cervix dabit omnibus astris.  
 Vtere perpetuum populi magnique senatus  
 munere. Apelleae cuperent te scribere cerae, 100  
 optassetque novo similem te ponere templo  
 Atticus Elei senior Iovis, et tua mitis  
 ora Tarans, tua sidereas imitantia flammis  
 lumina contempto mallet Rhodos aspera Phoebos.  
 certus ames terras et quae tibi templa dicamus. 105  
 ipse colas, nec te caeli iuuet aula, tuosque  
 laetus huic dono videas dare tura nepotes.

**Text 2:** Mart. *epigr.* 1, 10 (ed. Lindsay, 1902 (OCT))

Laeserat ingrato leo perfidus ore magistrum,  
 ausus tam notas contemerare manus,  
 sed dignas tanto persoluit crimine poenas,  
 et qui non tulerat uerbera, tela tulit.  
 Quos decet esse hominum tali sub principe mores, 5  
 qui iubet ingenium mitius esse feris!


**Text 3:** Mart. 10, 2 (ed. Lindsay, 1902 (OCT))

Festinata prior, decimi mihi cura libelli  
 elapsam manibus nunc revocavit opus.  
 nota leges quaedam sed lima rasa recenti;  
 pars nova maior erit: lector, utrique fave,  
 lector, opes nostrae: quem cum mihi Roma dedisset, 5  
 'Nil tibi quod demus maius habemus' ait.  
 'pigra per hunc fugies ingratae flumina Lethes  
 et meliore tui parte superstes eris.  
 marmora Messallae findit caprificus et audax  
 dimidios Crispi mulio ridet equos: 10  
 at chartis nec furta nocent et saecula prosunt,  
 solaque non norunt haec monumenta mori.'

**Text 4:** Mart. 10, 4 (ed. Lindsay, 1902 (OCT))

Qui legis Oedipoden caligantemque Thyesten,  
 Colchidas et Scyllas, quid nisi monstra legis?  
 quid tibi raptus Hylas, quid Parthenopaeus et Attis,  
 quid tibi dormitor proderit Endymion?  
 exutusve puer pinnis labentibus? aut qui 5  
 odit amatrices Hermaphroditus aquas?  
 quid te vana iuvant miserae ludibria chartae?  
 hoc lege, quod possit dicere vita 'Meum est.'  
 non hic Centauros, non Gorgonas Harpyiasque  
 inuenies: hominem pagina nostra sapit. 10  
 Sed non vis, Mamurra, tuos cognoscere mores  
 nec te scire: legas Aetia Callimachi.

## Übersicht über die Kaiser-Foren in Rom:



**Prof. Dr. Ulrich Eigler**  
**Vorlesung HS 13**  
**Die lateinische Literatur des 1. Jh.s n. Chr.**  
**13. Kollegstunde (12. Dezember 2013)**  
*Difficile est saturam non scribere* oder: **Das Leben als Realsatire?**

- Texte:** 1. Pers. 5, 1-65  
 2. Iuv. 1, 1  
 3. Julius Hart, *Auf der Fahrt nach Berlin* (Ausschnitt)  
 4. Paul Lindau rez. Uraufführung von G. Hauptmann, *Vor Sonnenaufgang*

**Text 1:** Pers. 5, 1-65 (ed. Clausen, 1959 (OCT))

Vatibus hic mos est, centum sibi poscere uoces,  
 centum ora et linguas optare in carmina centum,  
 fabula seu maesto ponatur hianda tragoedo,  
 uolnera seu Parthi ducentis ab inguine ferrum.  
 'quorsum haec? aut quantas robusti carminis offas 5  
 ingeris, ut par sit centeno gutture niti?  
 grande locuturi nebulas Helicone legunto,  
 si quibus aut Procnes aut si quibus olla Thyestae  
 feruebit saepe insulso cenanda Glyconi.  
 tu neque anhelanti, coquitur dum massa camino, 10  
 folle premis uentos nec clauso murmure raucus  
 nescio quid tecum graue cornicaris inepte  
 nec scloppo tumidas intendis rumpere buccas.  
 uerba togae sequeris iunctura callidus acri,  
 ore teres modico, pallentis radere mores 15  
 doctus et ingenuo culpam defigere ludo.  
 hinc trahe quae dicis mensasque relinque Mycenis  
 cum capite et pedibus plebeiaque prandia noris.'  
 non equidem hoc studeo, pullatis ut mihi nugis  
 pagina turgescat dare pondus idonea fumo. 20  
 secreta loquimur. tibi nunc hortante Camena  
 excutienda damus praecordia, quantaque nostrae  
 pars tua sit, Cornute, animae, tibi, dulcis amice,  
 ostendisse iuuat. pulsa, dinoscere cautus  
 quid solidum crepet et pictae tectoria linguae. 25  
 hic ego centenas ausim deponere fauces,  
 ut quantum mihi te sinuoso in pectore fixi  
 uoce traham pura, totumque hoc uerba resignent  
 quod latet arcana non enarrabile fibra.

cum primum pauido custos mihi purpura cessit 30  
 bullaque subcinctis Laribus donata pependit,  
 cum blandi comites totaque inpune Subura  
 permisit sparsisse oculos iam candidus umbo,  
 cumque iter ambiguum est et uitae nescius error  
 diducit trepidas ramosa in compita mentes, 35  
 me tibi supposui. teneros tu suscipis annos  
 Socratico, Cornute, sinu. tum fallere sollers  
 adposita intortos extendit regula mores  
 et premitur ratione animus uincique laborat  
 artificemque tuo ducit sub pollice uoltum. 40  
 tecum etenim longos meministi consumere soles  
 et tecum primas epulis decerpere noctes.  
 unum opus et requiem pariter disponimus ambo  
 atque uerecunda laxamus seria mensa.  
 non equidem hoc dubites, amborum foedere certo 45  
 consentire dies et ab uno sidere duci.  
 nostra uel aequali suspendit tempora Libra  
 Parca tenax ueri, seu nata fidelibus hora  
 diuidit in Geminos concordia fata duorum  
 Saturnumque grauem nostro Ioue frangimus una, 50  
 nescio quod certe est quod me tibi temperat astrum.  
 mille hominum species et rerum discolor usus;  
 uelle suum cuique est nec uoto uiuitur uno.  
 mercibus hic Italis mutat sub sole recenti  
 rugosum piper et pallentis grana cumini, 55  
 hic satur inriguo mauult turgescere somno,  
 hic campo indulget, hunc alea decoquit, ille  
 in uenerem putris; sed cum lapidosa cheragra  
 fregerit articulos ueteris ramalia fagi,  
 tunc crassos transisse dies lucemque palustrem 60  
 et sibi iam seri uitam ingemuere relictam.  
 at te nocturnis iuuat inpallescere chartis;  
 cultor enim iuuenum purgatas inseris aures  
 fruge Cleanthea. petite hinc, puerique senesque,  
 finem animo certum miserisque uiatica canis. 65

**Text 2:** Iuv. 1, 1

(ed. Clausen, 1959 (OCT))

Semper ego auditor tantum? numquamne reponam  
 uexatus totiens rauci Theseide Cordi?



inpune ergo mihi recitauerit ille togatas,  
 hic elegos? inpune diem consumpserit ingens  
 Telephus aut summi plena iam margine libri 5  
 scriptus et in tergo necdum finitus Orestes?  
 nota magis nulli domus est sua quam mihi lucus  
 Martis et Aeoliis uicinum rupibus antrum  
 Vulcani; quid agant uenti, quas torqueat umbras  
 Aeacus, unde alius furtiuae deuehat aurum 10  
 pelliculae, quantas iaculetur Monychus ornos,  
 Frontonis platani conuolsaque marmora clamant  
 semper et adsiduo ruptae lectore columnae.  
 expectes eadem a summo minimoque poeta.  
 et nos ergo manum ferulae subduximus, et nos 15  
 consilium dedimus Sullae, priuatus ut altum  
 dormiret. stulta est clementia, cum tot ubique  
 uatibus occurras, periturae parcere chartae.  
 cur tamen hoc potius libeat decurrere campo,  
 per quem magnus equos Aurunca flexit alumnus, 20  
 si uacat ac placidi rationem admittitis, edam.

cum tener uxorem ducat spado, Meuia Tuscum  
 figat aprum et nuda teneat uenabula mamma,  
 patricos omnis opibus cum prouocet unus  
 quo tondente grauis iuueni mihi barba sonabat, 25  
 cum pars Niliacae plebis, cum uerna Canopi  
 Crispinus Tyrias umero reuocante lacernas  
 uentilet aestiuum digitis sudantibus aurum  
 nec sufferre queat maioris pondera gemmae,  
 difficile est saturam non scribere. nam quis iniquae 30  
 tam patiens urbis, tam ferreus, ut teneat se,  
 causidici noua cum ueniat lectica Mathonis  
 plena ipso, post hunc magni delator amici  
 et cito rapturus de nobilitate comesa  
 quod superest, quem Massa timet, quem munere palpat 35  
 Carus et a trepido Thymele summissa Latino;  
 cum te summoueant qui testamenta merentur  
 noctibus, in caelum quos euehit optima summi  
 nunc uia processus, uetulae uesica beatae?  
 unciolam Proculeius habet, sed Gillo deuncem, 40  
 partes quisque suas ad mensuram inguinis heres.  
 accipiat sane mercedem sanguinis et sic  
 palleat ut nudis pressit qui calcibus anguem

aut Lugudunensem rhetor dicturus ad aram.  
 quid referam quanta siccum iecur ardeat ira, 45  
 cum populum gregibus comitum premit hic spoliator  
 pupilli prostantis et hic damnatus inani  
 iudicio? quid enim saluis infamia nummis?  
 exul ab octaua Marius bibit et fruitur dis  
 iratis, at tu uictrix, prouincia, ploras. 50  
 haec ego non credam Venusina digna lucerna?  
 haec ego non agitem? sed quid magis? Heracleas  
 aut Diomedas aut mugitum labyrinthi  
 et mare percussum puero fabrumque uolantem,  
 cum leno accipiat moechi bona, si capiendi 55  
 ius nullum uxori, doctus spectare lacunar,  
 doctus et ad calicem uigilanti stertere naso;  
 cum fas esse putet curam sperare cohortis  
 qui bona donauit praesepibus et caret omni  
 maiorum censu, dum peruolat axe citato 60  
 Flaminiam puer Automedon? nam lora tenebat  
 ipse, lacernatae cum se iactaret amicae.  
 nonne libet medio ceras implere capaces  
 quadriuiu, cum iam sexta ceruice feratur  
 hinc atque inde patens ac nuda paene cathedra 65  
 et multum referens de Maecenate supino  
 signator falsi, qui se lautum atque beatum  
 exiguis tabulis et gemma fecerit uda?  
 occurrit matrona potens, quae molle Calenum  
 porrectura uiro miscet sitiante rubetam 70  
 instituitque rudes melior Lucusta propinquas  
 per famam et populum nigros efferre maritos.  
 aude aliquid breuibus Gyaris et carcere dignum,  
 si uis esse aliquid. probitas laudatur et alget;  
 criminibus debent hortos, praetoria, mensas, 75  
 argentum uetus et stantem extra pocula caprum.  
 quem patitur dormire nurus corruptor auarae,  
 quem sponsae turpes et praetextatus adulter?  
 si natura negat, facit indignatio uersum  
 qualemcumque potest, quales ego uel Cluuienus. 80  
 ex quo Deucalion nimbis tollentibus aequor  
 nauigio montem ascendit sortesque poposcit  
 paulatimque anima caluerunt mollia saxa  
 et maribus nudas ostendit Pyrrha puellas,

quidquid agunt homines, uotum, timor, ira, uoluptas, 85  
 gaudia, discursus, nostri farrago libelli est.  
 et quando uberior uitiorum copia? quando  
 maior auaritiae patuit sinus? alea quando  
 hos animos? neque enim loculis comitantibus itur  
 ad casum tabulae, posita sed luditur arca. 90  
 proelia quanta illic dispensatore uidebis  
 armigero! simplexne furor sestertia centum  
 perdere et horrenti tunicam non reddere seruo?  
 quis totidem erexit uillas, quis fercula septem  
 secreto cenauit auus? nunc sportula primo 95  
 limine parua sedet turbae rapienda togatae.  
 ille tamen faciem prius inspicit et trepidat ne  
 suppositus uenias ac falso nomine poscas:  
 agnitus accipies. iubet a praecone uocari  
 ipsos Troiugenas, nam uexant limen et ipsi 100  
 nobiscum. 'da praetori, da deinde tribuno.'  
 sed libertinus prior est. 'prior' inquit 'ego adsum.  
 cur timeam dubitemve locum defendere, quamuis  
 natus ad Euphraten, molles quod in aure fenestrae  
 arguerint, licet ipse negem? sed quinque tabernae 105  
 quadringenta parant. quid confert purpura maior  
 optandum, si Laurenti custodit in agro  
 conductas Coruinus ouis, ego possideo plus  
 Pallante et Licinis?' expectent ergo tribuni,  
 uincant diuitiae, sacro ne cedat honori 110  
 nuper in hanc urbem pedibus qui uenerat albis,  
 quandoquidem inter nos sanctissima diuitiarum  
 maiestas, etsi funesta Pecunia templo  
 nondum habitat, nullas nummorum ereximus aras,  
 ut colitur Pax atque Fides, Victoria, Virtus 115  
 quaeque salutato crepitat Concordia nido.  
 sed cum summus honor finito computet anno,  
 sportula quid referat, quantum rationibus addat,  
 quid facient comites quibus hinc toga, calceus hinc est  
 et panis fumusque domi? densissima centum 120  
 quadrantibus lectica petit, sequiturque maritum  
 languida uel praegnas et circumducitur uxor.  
 hic petit absentis nota iam callidus arte  
 ostendens uacuam et clausam pro coniuge sellam.  
 'Galla mea est' inquit, 'citius dimitte. moraris? 125

profer, Galla, caput. noli uexare, quiescet.'

ipse dies pulchro distinguitur ordine rerum:  
 sportula, deinde forum iurisque peritus Apollo  
 atque triumphales, inter quas ausus habere  
 nescio quis titulos Aegyptius atque Arabarches, 130  
 cuius ad effigiem non tantum meiere fas est.  
 uestibulis abeunt ueteres lassique clientes  
 uotaque deponunt, quamquam longissima cenae  
 spes homini; caulis miseris atque ignis emendus.  
 optima siluarum interea pelagique uorabit 135  
 rex horum uacuisque toris tantum ipse iacebit.  
 nam de tot pulchris et latis orbibus et tam  
 antiquis una comedunt patrimonia mensa.  
 nullus iam parasitus erit. sed quis ferat istas  
 luxuriae sordes? quanta est gula quae sibi totos 140  
 ponit apros, animal propter conuiuia natum!  
 poena tamen praesens, cum tu deponis amictus  
 turgidus et crudum pauonem in balnea portas.  
 hinc subitae mortes atque intestata senectus.  
 it noua nec tristis per cunctas fabula cenas; 145  
 ducitur iratis plaudendum funus amicis.  
 nil erit ulterius quod nostris moribus addat  
 posteritas, eadem facient cupientque minores,  
 omne in praecipiti uitium stetit. utere uelis,  
 totos pande sinus. dices hic forsitan 'unde 150  
 ingenium par materiae? unde illa priorum  
 scribendi quodcumque animo flagrante liberet  
 simplicitas? "cuius non audeo dicere nomen?  
 quid refert dictis ignoscat Mucius an non?"  
 pone Tigillinum, taeda lucebis in illa 155  
 qua stantes ardent qui fixo gutture fumant,  
 et latum media sulcum deducit harena.'  
 qui dedit ergo tribus patruis aconita, uehatur  
 pensilibus plumis atque illinc despiciat nos?  
 'cum ueniet contra, digito compesce labellum: 160  
 accusator erit qui uerbum dixerit "hic est."  
 securus licet Aenean Rutulumque ferocem  
 committas, nulli grauis est percussus Achilles  
 aut multum quaesitus Hylas urnamque secutus:  
 ense uelut stricto quotiens Lucilius ardens 165  
 infremuit, rubet auditor cui frigida mens est

criminibus, tacita sudant praecordia culpa.  
 inde ira et lacrimae. tecum prius ergo uoluta  
 haec animo ante tubas: galeatum sero duelli  
 paenitet.' experiar quid concedatur in illos  
 quorum Flaminia tegitur cinis atque Latina.

170

**Text 3:** Julius Hart (1859-1930), *Auf der Fahrt nach Berlin* (1882)

aus: Wilhelm Arendt, Hermann Conradi, Karl Henckell (Hgg.), *Jungdeutschland*, Berlin 1886 (= 2. Auflage der „Modernen Dichter-Charaktere“).

Von Westen kam ich, – schwerer Haideduft  
 Umfloß mich noch, vor meinen Augen hoben  
 Sich weiße Birken in die klare Luft,  
 Von lauten Schwärmen Krähenvolks umstoben,  
 Weit, weit die Haide, Hügel gelben Sand's, 5  
 Und binsenüberwachs'ne Wasserkolke,  
 Fern zieht ein Schäfer in des Sonnenbrand's  
 Braunglühendem Reich verträumt mit seinem Volke.

Von Westen kam ich und mein Geist umspann  
 Weichmütig rasch entschwund'ne Jugentage, 10  
 War's eine Thräne, die vom Aug' mir rann,  
 Klang's von dem Mund wie sehnsuchtsbange Klage?...  
 Vom Westen kam ich und mein Geist entflog  
 Voran und weit in dunkle Zukunftsstunden...  
 Wohl hub er mächtig sich, sein Flug war hoch, 15  
 Und Schlachten sah er, Drang und blut'ge Wunden.

Vorbei die Spiele, Durch den Nebelschwall  
 Des grauenden Septembermorgens jagen  
 Des Zuges Räder, und vom dumpfen Schall  
 Stöhnt, dröhnt und saust's im engen Eisenwagen... 20  
 Zerzauste Wolken, winddurchwühlter Wald  
 Und braune Felsen schießen wirr vorüber,  
 Dort graut die Havel, und das Wasser schwallt,  
 Die Brücke, hei! dumpf braust der Zug hinüber.

Die Fenster auf! Dort drüben liegt Berlin! 25  
 Dampf wallt empor und Qualm, in schwarzen Schleiern  
 Hängt tief und steif die Wolke drüber hin,  
 Die bleiche Luft drückt schwer und liegt wie bleiern...

Ein Flammenherd darunter – ein Vulkan,  
 Von Millionen Feuerbränden lodernd,... 30  
 Ein Paradies, ein süßes Kanaan, –  
 Ein Höllenreich und Schatten bleichvermodernd.

Hindonnernd rollt der Zug! Es saust die Luft,  
 Ein anderer rast dumpfzasselnd rasch vorüber,  
 Fabriken rauchgeschwärzt, im Wasserduft, 35  
 Glänzt Flamm' um Flamme, düster, trüb' und trüber,  
 Engbrüst'ge Häuser, Fenster schmal und klein,  
 Bald braust es dumpf durch dunkle Brückenbogen,  
 Bald blitzt es unter uns wie grauer Wasserschein,  
 Und unter Kähnen wandeln müd' die Wogen. 40

Vorbei, vorüber! und ein geller Pfiff!  
 Weiß fliegt der Dampf,... ein Knirschen an den Schienen!  
 Die Bremse stöhnt laut unter starkem Griff...  
 Langsamer nun! Es glänzt in allen Mienen!  
 Glashallen über uns, rings Menschenwirr'n,... 45  
 Halt! und "Berlin!" Hinaus aus engem Wagen!  
 "Berlin!" "Berlin!" Nun hoch die junge Stirn,  
 Ins wilde Leben laß dich mächtig tragen!

Berlin! Berlin! Die Menge drängt und wallt,  
 Wirst du versinken hier in dunklen Massen... 50  
 Und über dich hinschreitend stumm und kalt,  
 Wird Niemand deine schwache Hand erfassen?  
 Du suchst – du suchst die Welt in dieser Flut,  
 Suchst glühende Rosen, grüne Lorbeerkronen,...  
 Schau dort hinaus! ... Die Luft durchquillt's wie Blut, 55  
 Es brennt die Schlacht und Niemand wird dich schonen.

Schau dort hinaus! - Es flammt die Luft und glüht,  
 Horch Geigenton zu Tanz und üpp'gem Reigen!  
 Schau dort hinaus, der fahle Nebel sprüht,  
 Aus dem Gerippe nackt herniedersteigen...- 60  
 Zusammen liegt hier Tod und Lebenslust,  
 Und Licht und Nebel in den langen Gassen -  
 Nun zeuch hinab, so stolz und selbstbewußt,  
 Welch' Spur willst du in diesen Fluten lassen?

**Text 4:** Paul Lindau rez. Uraufführung von G. Hauptmann, *Vor Sonnenaufgang*

*Der Dichter und Kritiker Paul Lindau urteilt in seiner Rezension der Uraufführung von „Vor Sonnenaufgang“ für das Berliner Tagblatt vom 21. 10. 1889:*

„Mit dem Fuseldunste, der aus der nahen Schänke in das Bauernhaus herüberdringt und alle Räume erfüllt, verschwistern sich die Gerüche des Düngers aus dem Kuhstalle, des Kammlenthees aus dem Zimmer der Wöchnerin und des Chlors und Karbols, die man für die eingesargte Kindesleiche verwenden wird. In diesem Dunstkreise bewegt sich die Handlung (...)

All diese Szenen (...) scheinen mir, sofern ich Kenner bin, als die Erzeugnisse der neuen Schule gelten zu sollen. Dann bedanke ich mich dafür; denn sie sind im Großen und Ganzen einfach ekelhaft. (...)

Ja, widerwärtig! Ich finde keinen milderen Ausdruck für das, was ich in diesem dramatischen Versuche als das Produkt der neuen Schule betrachten muß. Was will sie denn eigentlich, diese neue Schule? Wahrheit? Die wollen ja Alle, die mit redlichem Bemühen künstlerisch oder dichterisch schaffen. Aber: 'Was ist Wahrheit?' fragen wir mit Pilatus. Ist nur das Häßliche, das Ekelhafte wahr? nur der Unrath, die Jauche, die Kloake? Ist alles andere Lug und Trug, feige Beschönigung und jämmerliche Schminke?“